OBSERVATIONES

AD

MORALEM SIVE PRACTICAM

LIBRORUM SACRORUM

INTERPRETATIONEM PERTINENTES,

SCRIPSIT

ΦΙΛΑΛΗΘΗΣ ΕΡΙΔΑΙΡΩΝ.

LIPSIAE

REDEMTORE CHRIST. THEOPH. RABENHORST.

MDCCLXXXXVI.

LECTORI
ERUDITO ET AEQUO
S.
AUCTOR.

Perpauca ſunt, quae huic libello praefari rationes meae iubeant. Conſilium quidem ipſum, quod in componenda hac ſcriptione ſecutus fuerim, legentium oculis ultro ſe offeret; hincque non opus videtur, ut de illo nominatim nunc exponam.

Si qui vero ſint, qui paſſim quaedam paulo liberius et audacius a me ſtatui credant, hi ſecum reputent, oro, partim, qui animos diſſidentes ſibi invicem reconciliare et lites componere velit, eius perſonae hanc peculiarem iniunctam eſſe muneris neceſſitatem, ut ſingulis litigantium partibus interdum aliquid largiatur, quod ipſe adſenſu ſuo comprobare nolit; partim totam hanc qualemcumque commentationem ſolis doctis Viris, quam examinent et, ſi tanti res videatur, in uſum ſuum convertant, deſtinatam eſſe. His autem, qui ipſi ſapiunt et bona a malis ſcienter diſtinguere didicerunt, talia et-

iam proponere, quae omnibus eodem modo probatum iri vix ſperare licet, quid impediat? παντα γαρ καθαρα τοις καθαροις. Tit. I, 5. Eam quoque ob cauſam ſtilo latino uſus ſum, ut indocta et imperita multitudo, cuius nulla eſt de talibus rebus iudicandi facultas, a lectione huius libelli arceretur.

Fictum auctoris nomen, quod in fronte exſtat, lectores, quocumque placeat, modo interpretentur, dum ne pro arrogantiae ſigno habeant, quod profecto non eſt. Verum autem et proprium mihi nomen profi-

teri, nunc quidem non licet. Quare si qui ulla aliqua ratione illud compertum habeant, hos vehementer rogatos cupio, nolint divulgare.

Quod reliquum eſt, iam in antecessum gratias iis ago, qui hoc mihi gratum facturi ſint; ut, quidquid a me peccatum fuerit, amanter notent ac corrigant. Dabam nundinis auctumnalibus Lipſienſibus, A. C. MDCCLXXXXV.

OBSERVATIONES

AD

MORALEM SIVE PRACTICAM LIBRORVM SACRORVM INTERPRETATIONEM PERTINENTES.

Ἕκαςος καθὼς ἔλαβε χάρισμα.

Allegoricam et myſticam libros ſacros interpretandi rationem, quae ſenſum verborum non ex legibus linguae et recto iuſtorum praeſidiorum uſu, ſed ex vanis ingenii luſibus metitur, quamque e Iudaeorum ſcholis 1) ad Chriſtianos doctores

1) Prima allegoricae interpretationis origo apud Iudaeos repetenda eſt a doctoribus Alexandrinis, quibus temporis rationes hanc perverſam librorum ſacrorum tractationem perſuaſerant, Vid. I. G. KOERNERI Spec. I. *de allegorica interpretandi ratione.* Lipſ. 1782. 4. ZIEGLERI *Einleitung in d. Brief an die Hebräer.* Goetting. 1791. 8. p. 155. ſqq. 272. ſq. EIUSDEM *Kritik über den Artikel von der Schöpfung nach unſrer gewöhnlichen Dogma-*

transiisse 2), et ab his per omnia secula magis minusve propagatam, excultam, commendatam

tik; in Henkii *Magazin für Religionsphilosophie, Exegese u. Kirchengeschichte.* Vol. II. Part. I. p. 70. sqq. Eichhornii *Briefe die biblische Exegese betreffend;* in *s. allgem. Biblioth. d. bibl. Litterat.* T. V. epist. 3. p. 233. sqq. Poelitz *Beitrag zur Kritik der Religionsphilosophie und Exegese unsers Zeitalters.* Lips. 1795. 8. p. 363. sqq. — Pertinet huc locus Sirac. XXIV, 23—29. — Omnes Iudaicae interpretationis ineptias pluribus descripsit Eisenmenger *im entdeckten Judenthum.* T. I. Cap. IX. p. 453. sqq.

2) Christum et Apostolos in tradenda doctrina sua vulgarem Iudaicorum doctorum interpretandi et disputandi methodum secutos fuisse, dubio caret. Cf. Koppe in *Excurs. I. ad epist. ad Roman.* et *annotat. ad Galat.* IV, 21. sqq. Eichhorn, in *s. Biblioth. d. bibl. Litter.* T. II. p. 497. sqq. et, qui ex instituto hanc rem diligentius tractarunt, Gvil. Surenhuse ספר המשוה sive *βιβλος καταλλαγης.* Amstelod. 1713. 4. atque Eckermann in *s. theologisch. Beyträgen.* T. I. II. Alton. 1791. 1792. 8. Num sacri Nov. Test. auctores in citandis et explicandis V. T. dictis, ad Messiam nominatim spectantibus, tantum ad popularium ingenium atque opiniones sese accommodaverint; an vero allegoricum, ab ipsis expressum, sensum verbis proprie inhaerere putaverint, de eo non consentiunt viri docti. Subtilius nuper huius quaestionis solutio descripta est in Eichhornii *Biblioth. d. bibl. Litter.* T. V. p. 420. sqq.

esse constat 3); omni certo fundamento destitui neque adeo ullo modo admitti probarique posse idonei harum rerum iudices iam dudum unanimi consensu statuerunt 4). Hinc factum est, ut ex quo hac recentiori aetate HUGO GROTIUS ipsa

3) Vid. I. F. BVDDEI *Isagoge ad theologiam universam*. Lips. 1730. 4. p. 1372. sqq. G. I. PLANCKII *Einleitung in d. theolog. Wissenschaften*. T. II. (Lips. 1795. 8.) p. 127. sqq. et I. G. ROSENMVELLERI X. Commentt. *de fatis interpretationis sacrarum literarum in ecclesia Christiana*, quae inde ab anno 1789. Lipsiae prodierunt et statis temporibus continuabuntur. Quem nuperrime *venerandus* ROSENMVELLERVS edidit librum: *historia interpretationis sacrarum literarum in ecclesia Christiana inde ab Apostolorum aetate usque ad Origenem*. T. I. Hildburghus. 1795. 8. is sine dubio has ipsas Commentationes in unum collectas, vel saltem aliquam earum partem continet. Ipsa libri huius videndi copia nondum mihi facta est. De *Clemente Alexandrino* et *Origene*, maximis allegoricae interpretationis fautoribus et patronis, singulatim ac diligentius disputavit KOERNER in Specc. II. *de allegor. interpr. ratione*. Lips. 1782. 4. Num continuata sit et absoluta haec *Koerneri* disputatio, nec ne, equidem nescio.

4) Laudasse sufficiat unum ERNESTIVM in *institut. interpretis Nov. Test.* Part. I. Sect. I. Cap. I. §. 7—11. p. 18. sqq. ex edit. *Ammonii*. Lips. 1792. 8.

periculorum fide 5), et SALOMO GLASSIUS praeceptorum bonitate 6) veriorem atque saniorem interpretationem instaurare et praeire coepissent, perversum istud interpretandi genus sensim obsolesceret et ita tandem everteretur, vt neque convitiorum, quibus GROTII studia ab importunis seculi superioris clamatoribus proscindebantur, atrocitas 7), neque *Coccejanorum* furor 8), ne-

5) Scripsit *Annotationes in Vet. et Nov. Test.* Lutet. Paris. 1741. sqq. V. Tomi. fol. quarum ea est indoles, ut *Grotium* caput esse hodiernae interpretationis grammaticae, et ex eius fontibus omnes, qui post fuerint, interpretes hausisse iudicaverit ERNESTI l. l. Part. III. Cap. IX. §. 36. p. 301. Cf. etiam NOESSELTI *Anweisung zur Kenntniss der besten allgem. Bücher in allen Theilen der Theologie.* §. 119. p. 163. sq. ed. 3. Lips. 1790. 8.

6) Eius Opus *Philologia Sacra* inscriptum, quod nunc in animo habeo, primum prodiit Francofurti ad Moenum. 1643. 4. Tomum I. *his temporibus accommodatum* typis exscribendum curavit I. A. DATHE. Lips. 1776. 8. Continuationem operis, in novam plane formam redigendi, promisit G. L. BAUER, hisque suis promissis ex parte iam satisfecit. Nuperrime enim *Eius* opera Tomi II. Sectionem I. in lucem prodiisse, refert uniuersalis novorum librorum catalogus Lipsiensis, nundinis vernalibus huius ipsius anni destinatus.

7) Plures ex aequalibus GROTIVM *Socinianum*, *Arianum*, *Antitrinitarium* et *Atheum* appellare non dubitarunt. ABRAHAMVS quidem CALOVIUS, fa-

que exempli, a nostris adhuc hominibus editi, celebritas 9), amissam eius auctoritatem restituere posset. Iam enim omnis interpretandi ratio aliam

mosus ille orthodoxae fidei propugnator, in *epicrisi ad prooemium Grotii in N. T.* p. 1." *Theologiam eius*, inquit, *mere electivam et vere ἡρητικὴν esse, merito dixeris, nisi quod Atheismus quandoque in ea se prodat, haeresi quavis peior.*" Sed iam *Buddeo* (l. l. p. 1518.) hoc iudicium nimis durum videbatur.

8) Statuit nimirum Io. Coccejus cum asseclis, (ut, quae de foederibus divinis eorumque oeconomia, et de aliis rebus somniavit, nunc omittam,) sacrorum auctorum verba, quidquid significare possint, id vere et proprie significare; atque ita non modo omnia allegoriis, vaticiniis, typis et mysteriis ad libidinem replevit, sed certam etiam librorum sacrorum interpretationem penitus sublatum ivit.

9) *Coccejanam* interpretandi rationem nostris adhuc temporibus suos habere fautores et amicos, docent inprimis libri hi: *Neue Sammlung der mystischen Schriften des Verfassers der mystischen Erklärung üb. das Hohe Lied Salomonis.* Hamburgi et Lipsiae. 1789. 8. IV Tomi. *Des Apostels Johannis Offenbarung Jesu Christi, als das von dem letztern selbst verordnete und von beyden zum Lesen, Hören und Bewahren empfohlne allgemeine Hauptlehrbuch der Religion N. Test. Neu übersetzt von* Mag. M. Fr. Semler. Neostad. ad Oril. et Lips. 1794. 8. *Die Weissagung und ihre Erfüllung aus der heiligen Schrift dargestellt von* D. G. Fr. Seiler. Erlang. 1794. 8.

et laetiorem quidem formam induit 10). Certiores nimirum universae arti hermenevticae leges ex acriori et subtiliori classicorum auctorum studio praescriptae sunt, quas deinde in sacris quoque libris explicandis et interpretandis unice sequendas esse, suus quemque sensus suumque iudicium facile docuit 11). Namque cognoverunt viri docti, scriptis sacris, qua originem, auctorum ingenium, stili, aetatis et consilii rationem, accommodationis ad aequalium opiniones prudentiam, et ipsius interpretationis difficultates, eandem aut certe similem cum profanae antiquitatis operibus intercedere sortem; et inde suo iure concluserunt, librorum sacrorum interpretationem, i. e. earum notionum, quas scriptores divini verbis

10) Nonnulla, quae huc pertinent, monuit auctor libelli: *Ueber ältere und neuere Auslegungsart der Bibel. Versuch eines Eklektikers.* Giessae. 1789. 8.

11) Cf. Gelbrichtii diss. *interpretationem librorum divinorum ab interpretatione librorum humanorum nihil differre.* Zizae. 1774. 4. Herderi *Briefe das Studium der Theologie betreffend.* Part. I. p. 1. sqq. ed. 2. Vinar. 1785. 8. Io. Asboth Comment. *de interpretatione Codicis S. ad communia omnes libros interpretandi principia revocata.* Gotting. 1791. 4. Gvil. Nic. Freudentheil Comment. *de Codice S. more in reliquis antiquitatis libris solemni ingenue interpretando; adiectis difficultatibus Novo Test. propriis.* Gotting. 1791. 8.

ſuis ſubieciſſe cenſendi ſint, explicationem atque declarationem, quae quidem recte et bene procedere debeat, non aliter inſtitui poſſe, niſi ut integritate et vera cuiusvis loci lectione conſtituta, primum ex legibus linguae et loquendi uſus, verborum tam ſingulorum quam iunctorum ſenſus definiatur 12); deinde vero, quae ita reperta videatur auctoris ſententia, ex aetatis ſuae hiſtoria, moribus inſtitutis, ritibus et opinionibus illuſtretur ac comprobetur 13). Hac enim ſola ra-

12) Ea dicitur *grammatica* librorum S. interpretatio, et diſtinguitur a *dogmatico* interpretandi genere, quod non tam verba accurate explicat, quam ſententias utcunque intellectas opinionibus praeiudicatis accommodat. Docte et ſubtiliter de hac *grammatica* S. S. interpretatione ſcripſit I. A. Ernesti in Commentationibus his: *de difficultatibus Novi Teſt. recte interpretandi.* Lipſ. 1748. 4. *pro grammatica interpretatione librorum inprimis ſacrorum.* Lipſ. 1749. 4. *de vanitate philoſophantium in interpretatione librorum S.* Lipſ. 1750. 4. *de difficultate interpretationis grammaticae Novi Teſt.* Lipſ. 1755. 4. *De Origene, interpretationis librorum S. grammaticae auctore.* Lipſ. 1756. 4. Iunctim hae diſſertationes leguntur in Eius *Opuſcc. philol. critic.* Lugd. Batav. 1764. 8. edit. alt. 1776. 8.

13) Haec interpretandi ratio, quae divinorum auctorum ſcripta ut res facti ſpectat, et *hiſtoricae* interpretationis nomine venit, ut a grammatica interpretatione nunquam ſeiungi debet, ita poſt

tione et communes interpretationis leges ſervari, et verum atque genuinum ſcriptorum ſacrorum ſenſum ita erui, ut, quidquid ſerior aetas auctorum verbis falſo affinxerit, excludatur, recte obſervatum eſt. Cum vero literarum ſacrarum ea ſit natura, ut, quamvis ſuae aetatis hominibus et accommodate ad temporum illorum ingenium ſcriptae ſint, doctrinam tamen contineant, quae ad nos quoque et ad omnes inſequentium aetatum homines pertinet, facile intelligitur, perquam commode liberali horum ſcriptorum interpreti id peculiare iniunctum eſſe munus, ut inter veritatem abſolute declaratam et inter veritatem pro captu et neceſſitate temporum adumbratam rite diſtinguat, atque ita, quae univerſe valeant, a decretis temporariis et localibus, quae dicuntur, ex certarum legum uſu et auctoritate probe ſeiungat 14). Namque ita demum, et quid ſacri ſcriptores vere docuerint, et quatenus eorum inſtitutio ad nos pertineat, recte iudicabitur.

Semlervm inprimis a C. A. Th. Keilio definita eſt et commendata in diſſert. *de hiſtorica librorum ſacrorum interpretatione eiusque neceſſitate.* Lipſiae. 1788. 4. quam vernaculo ſtilo reddidit C. A. Hempel. Lipſiae 1793. 8.

14) Cf. Tr. A. Seyffarthi Comment. *de locis N. T. communibus rite conſtituendis.* Lipſ. 1789. 4. Eckermanni *Praefat. ad Compendium Theolog. Chriſt. theoret.* Kiliae. 1791. 8. Eivsdem *Theo-*

Quae cum ita ſint, quis tandem non laetetur, omnes bonae notae interpretes, quotquot hac noſtra aetate in explicandis et illuſtrandis libris ſacris verſati ſint, eandem, quam leviter perſtrinxi, rationem ſecutos eſſe, et adhuc ſequi? Quis ſibi non gratuletur fructus uberrimos et ſaluberrimos, qui ex tali literarum ſacrarum uſu et tractatione non poſſint non ad univerſam rem chriſtianam prodire et enaſci? At vero quis idem non doleat, certam aliquam omniumque conſenſu probatam legem adhuc deſiderari, ad quam, tanquam lapidem Lydium, exigere poſſimus atque explorare, quid ſacri auctores ſuae tantum aetati ſcripſerint, et quid nobis? quae univerſa ſint, et quae certo tempori ac populo debeantur? uno verbo, qualis librorum ſacrorum uſus *noſtrorum* temporum rationibus conveniat? Multos quidem multa hac de re ſcripſiſſe 15) me non fugit; ſed conſi-

log. Beytr. Vol. II. Part. II. et omnium inſtar EICHHORNII *Vorſchläge zur Hermenevtik*; in *ſ. Biblioth. d. bibl. Literat.* T. IV. p. 330. ſqq.

15) Pertinent huc *primum* ſcripta eorum, qui de *accommodatione* doctorum ſacrorum ad popularium captum et opiniones egerunt. Notavit ea maximam partem C. H. L. POELITZ in Comment. *de graviſſimis theologiae ſeriorum Iudaeorum decretis.* Lipſ. 1794. 4. p. 15. nota 21. *Deinde* conſulendi ſunt ii, qui primam religionis Chriſtianae formam ad noſtri ſeculi rationes revocare ſtuduerunt: SEMLER, (variis librorum ſuorum locis,) GVIL.

liorum et ſententiarum aequalitatem fruſtra circumſpicio. Quot capita, tot ſenſus, ſuam quisque ſequitur rationem, aliorum mentibus nonnunquam e diametro oppoſitam. Studium omnibus commune, ſed diverſae viae, diverſus denique finis; lex ſumma, quae ſtudiorum curſum dirigat omniumque plauſum tulerit, nulla. Hanc autem opinionum diverſitatem et animorum fluctuationem, hunc ingeniorum diſſenſum in re tam gravi, quae librorum ſacrorum auctoritatem et uſum decernit, quis eſt, qui aequo ferat animo? Quis certi finis, ad quem omnis ſcriptorum divinorum interpretatio referatur, exactam deſcriptio-

ABR. TELLER, (*Vorerinnerungen zur 3ten. Aufl. ſ. Wörterbuchs des N. T.* Berol. 1780. 8. tum *Excurſ. II. ad* BVRNETI *de fide et officiis Chriſtianorum librum.* Halae 1786. 8. p. 243. ſqq. denique libello huic disquiſitioni proprie deſtinato: *die Religion der Vollkommnern.* Berol. 1792. 8. OCKEL, (*Ueber Tellers Religion der Vollkommnern.* Berol. 1794. 8.) MAREZOLL, (*Ueber d. Beſtimmung des Kanzelredners.* Lipſ. 1793. 8. Cap. I.) *Auctor* libri: *Briefe über d. Perfectibilität der geoffenbarten Religion.* Ienae et Lipſiae 1795. 8. SINTENIS, (*Beyträge zur Verwandlung der Sittenlehre des Urchriſtenthums in eine Sittenlehre für unſer Zeitalter.* Serveſtae. 1795. 8.) alii, quos, ne longior ſim, nunc omitto. Varias horum Virorum doctiſſimorum et celeberrimorum ſententias recenſere atque examinare, non eſt huius loci ac temporis. Notaſſe diſſenſum eiusque cauſas, nunc ſufficit.

nem non optet? et quis, si recte ea instituta fuerit, auctori eius non laudes habeat et gratias?

Nuper IMMANUELEM KANTIUM, Virum incomparabilem et ab optimo quoque maxima animi pietate colendum, de hac re cogitasse, sententiamque suam de summa interpretationis librorum sacrorum lege, quae practicae rationis fundamento niteretur, publice proposuisse 16), vel sola controversiae inde enatae fama in omnium notitiam pertulit. Ut enim primum venerabilis Senex mentis suae cogitata cum eruditorum hominum orbe communicaverat, permulti exstiterunt, iique et ab eruditionis laude et a nominis celebritate spectatissimi Viri, qui aut assensum et commendationem significarent 17), aut improba-

16) In libro: *die Religion innerhalb der Grenzen der blofsen Vernunft.* Regiomont. 1793. 8. Cap. III. Sect. VI. p. 149. sqq. edit. 2. 1794. p. 158. sqq.

17) His adnumerandi sunt: AMMON., (*Neues theologisches Journal. Herausgegeben von H. C. A. Hänlein u. C. F. Ammon.* Vol. I. p. 442. sq. nota c. Vol. II. p. 437. sqq. 477. sqq. Vol. III. p. 252. sqq. 491. sqq.) SCHAUMANN, (*Philosophie der Religion überhaupt u. des Christl. Glaubens insbesondre.* Hal. 1793. 8. Cap. III. Sect. II. §. 325. 326. p. 190. sqq.) TIEFTRVNK, (*Ueber die Auslegungsarten der in der Heil. Schrift geoffenbarten Religionslehren. Vor dem 2ten Th. der Censur des Christl. Protestantischen Lehrbegriffs.* Berol. 1794. 8.

tionis et vituperationis necessitatem suaderent 18). Hinc ortum est magnum animorum dissidium,

OCKEL, (in libro nota 15. laud. p. 33. sqq. nota *) *Auctor anonymus* Comment. vernaculae: *Ueber den practischen Sinn religiöser Urkunden; von einem Unpartheyischen; im N. theolog. Journal.* Vol. III. p. 461. sqq. Alius *anonymus* vir doctus, (Ibidem. Vol. IV. p. 208. sq.) POELITZ, (*Kritik der Religionsphilosophie und Exegese unsers Zeitalters.* p. 392. sqq.) G. S. FRANCKE, (*de ratione, qua est critica philosophia ad interpretationem librorum, inprimis sacrorum* disputatiuncula. Schlesvici. 1794. 8. iterum typis exscripta in *Neues Magazin für Schullehrer. Herausgegeben von G. A. Ruperti u. H. Schlichthorst.* T. III. P. II. Bremae. 1795. 8. p. 76. sqq.) *Censor* I. G. ROSENMÜLLERI *Observationum* mox laudandarum in *d. Jen. Allgem. Liter. Zeitung.* a. 1794. no. 196. p. 689—691. *Censor* libri *Kantiani* in *d. Götting. Anzeigen von gelehrten Sachen.* a. 1793. p. 1531. — A nonnullis adversariorum criminationibus *Kantianam* interpretandi rationem defendere et veram eius indolem accuratius describere studuerunt: *Censor* libri *Kantiani* in *der Götting. Biblioth. der neuesten theologischen Literatur, herausgegeben von I. F. Schleusner und C. F. Stäudlin.* T. I. P. I. (1794. 8.) p. 47. sq. et PLANCKIUS in *s. Einleitung in die theolog. Wissenschaften.* Vol. II. p. 141. sqq. — Specimina interpretationis S. S. ex *Kantii* ratione dedit C. W. PENZENKUFFER, Norimbergensis, (*Ueber einige Stellen im N. T. nach Kantischer Erklärungsmethode;* in HENKII *Magazin* Vol. III. p. 379. sqq.) simulque maioris molis opus, quod copiosius hoc argumentum tractaret, promisit.

quod, ut solet, doctam controversiam et concertationem comitem habuit. *Horum* enim alii ve-

18) Quo pertinent hi: EICHHORN, (*Briefe die biblische Exegese betreffend*; in *f. Biblioth. der bibl. Liter.* T. V. p. 203. sqq. *Ueber die Kantische Hermenevtik.* Ibid. T. VI. p. 55. sqq) ROSENMÜLLER, (Commentt. *de fatis interpretationis Sacr. literarum in ecclesia Christ.* Part. VII. et VIII. ubi inest *Excursus de nova Kantii S, S. interpretandi ratione.* Lipf. 1793. 1794. 4. *Einige Bemerkungen das Studium der Theologie betreffend. Zweyte vermehrte Ausgabe. Nebst einer Abhandlung über einige Aeusserungen des Hrn. Prof. Kant, die Auslegung der Bibel betreffend.* Erlang. 1794. 8.) GABLER, (*Vorrede zu des 2ten Theils 2tem Bande von f. Ausgabe der Eichhornischen Urgeschichte.* Norimberg. 1793. 8. p. 14.) NIEMEYER, (*Vorrede zur zweyten Ausg. f. popul. und praktisch. Theologie.* Halae 1794. 8.) HAMMER, (Differt. *Mortuorum in vitam revocatio sermonibus Christi historicae interpretationis ope vindicata.* Lipf. 1794. 4. p. 25. sqq.) ECKERMANN, (*Theolog. Beytr.* Vol. IV. Part. I. p. 31. sqq. 247. sqq. cl. Vol. III. Part. II. p. 189. sqq.) *Auctor Anonymus*, (*Ein Paar Worte über die Kantische Schriftauslegung*; in HENKII *Magazin.* Vol. II. p. 623. sqq.) Acutissimus *Auctor* libri: *Briefe über die Perfectibilität der geoffenbarten Religion.* Epist. XII. p. 246. sqq. *Censor Obseruatt.* ROSENMÜLLERI, in *d. Oberdeutsch. Litter. Zeit.* a. 1794. no. 71. p. 1169. sqq. HASSENKAMP, (*Annalen der neuest. theolog. Literat und Kirchengeschichte.* T. VI. 1794. p. 824. sq.) CH. D. BECK, (*Obseruatt. critico-exegeticae.* Lipf.

ram interpretationis notionem *Kantium* aut nescire aut consulto pervertere statuebant; aliis idem scriptorum divinorum argumentum cum mythologicarum fabellarum ineptiis aequasse videbatur; rursus alii, admissis *Kantii* praeceptis, allegoricam et mysticam libros sacros interpretandi rationem revocari opinabantur; alii denique, ne ingenuae rationis nostrae libertati, quae eadem cum severitate aliena decreta repudiet, ac suis tantum legibus adstringi se patiatur, et in universum puriori veritatis cognitioni iuvandae et propagandae iniusti a *Kantio* limites constituerentur, verendum esse existimabant. Quibus *illi* ita responderunt, ut vel *Kantii* mentem ab adversariis suis recte exceptam esse atque examinatam negarent, vel novae interpretationis virtutes ante oculos ponere et vindicare studerent. Grammatica enim et historica sacrarum literarum interpreta-

1795. 4. p. 14. sqq.) *Censor* disputat. *Franchianae* nota super. citatae, in *d. Jen. Allg. Liter. Zeit.* a. 1795. no. 78. p. 623. sq. *Censor* libri *Kantiani*, *in der Revision kritischer Journale u. Zeitungen.* T. I. Partic. II. (Berolin. 1795. 8.) p. 126. sqq. Subtilissimus *Auctor* libri: *Einige Bemerkungen über Kants philosophische Religionslehre.* Kiliae 1795. 8. p. 119. sqq. cl. *N. allgem. deutsche Biblioth.* T. XVI. P. I. p. 152. sqq. et M. Avg. Christ. Stauss in Dissert. *Utrum philosophica Scripturae interpretatio, quam commendavit Kantius, admitti possit in explicando N. T. Vitemb.* 1795. 4.

tione nequaquam omnia confici abſolvique iudicarunt, quippe qua tantum, quid divini doctores *ſuis* temporibus ſcripſerint, demonſtretur, non vero, qualis unde ad *nos* redundet animi obligatio, definiatur; aliud igitur bono interpreti adhuc iniungi debere officium, idque primarium, quod *Kantius* demum notaverit et recte deſcripſerit, ſtatuerunt.

Peccatum eſt, quantum video, ab utraque parte 19); nec hoc mirum, cum eam conſtet communem fere ſortem eſſe omnium inter ſcriptores controverſiarum, ut in fervore diſputandi quaedam minus recte capiantur, proponantur, examinentur, defendantur. Quam ipſam ob cauſam, qui animo ab omni cupiditate alieno peccata notet et corrigat, recte et ſubtiliter monita ex utriusque partis diſputationibus in communem uſum excerpat, atque adeo, detectis erroribus et remota impedimentorum mole, animos mirum quantum diffidentes ſibi et literis reconciliare ſtudeat, eum eſſe operae pretium facturum, perſuaſum habeo. Haec certe fuit commentationis huius origo, hoc conſilium; et quamvis vix ſperare audeo, ſtudium meum alterutri parti omnino probatum iri, acquieſcere tamen licet in

19 Conſentit AMMON, *im N. theolog. Journ.* Vol IV. p. 400.

ingenuo veritatis amore 20), propofiti honeftate, mentisque integrae confcientia.

Quare et *quomodo* KANTIVS vulgarem noftrisque hominibus plerisque omnibus probatam librorum facrorum interpretationem mutari voluerit, ut primum omnium paucis exponamus, res ipfa et inftituti noftri ratio poftulat. Omnis autem fummi Philofophi difputatio ita fere habet: „*Varia* funt *fidei* religiofae genera, fed *una* tantum (vera) *religio* cogitari poteft, (p. 146. ed. 1.) eaque moralis, quae practicae rationis fundamento fuperftructa fit, (p. 139.) et in agnofcendis atque exfequendis officiis noftris, ta quam praeceptis divinis, cernatur. (p. 215. 150.) Quam ut puram ab alienis decretis et arbitrariis praefcriptis conservemus, ratio ipfa fuadet, quippe quae *fuis* tantum legibus adftringi vult ac debet. (p. 140.) Cum autem maior pars hominum ea laboret ingenii imbecillitate, ut in hac rationali fide, quam debita legi morali obedientia gignit, acquie-

20) Eo quidem, quem nuper acuti ingenii philofophus egregie adumbravit, in comment. vernac. *Ueber Belebung und Erhöhung des reinen Intereffe für Wahrheit; in den Horen.* T. I. P. I. p. 79. fqq. Tubing. 1795. 8. „Dem reinen Intereffe für Wahrheit ift es um die blofse *Form*, nicht um den *beftimmten Inhalt* der Sätze zu thun." Haec fumma eft.

quiescere non valeat (p. 137.), sed aliud adhuc fidei suae fundamentum requirat, quod sensus feriatet divina communitum sit auctoritate (p. 149.), cumque in primis tunc, ubi homines in religiosos coetus publice coëant, haec ingeniorum tenuitas spectari debeat (p. 141.); communis cuiusdam normae, quae publicum numinis cultum constituat (p. 141.) et verae religioni iuvandae atque propagandae, adminiculi loco, inserviat (p. 144.), legis instar proponendae necessitas in unaquaque societate morali facile intelligitur. Neque diu haesitabimus, qualem credendi agendique normam, ad quam omnis populi institutio revocetur, sanciamus, cum fere semper iam adsit Codex quidam Sacer, quem vulgi opinio, cum ob antiquitatem tum propter divinam originem, humanis libris omnibus longe anteponit, et in quo Dei ipsius voluntatem descriptam iudicat. Hunc igitur retinebimus, eoque melius consilio nostro respondere existimabimus, quo plenius ac purius, paucis tantum mere arbitrariis aut historicis decretis admistis, veram de morali religione doctrinam continet (p. 145.). Iam ut verae religionis exercitatio huius Sacri Codicis instrumento recte iuvetur, ut leges arbitrariae et dogmata inutilia, quae ex humanorum scriptorum ingenio bonis ac divinis decretis fere semper admista leguntur, oblivioni sensim tradantur et antiquentur, utque adeo fides historica et empirica, sola auctoritate in-

nixa, morali fidei paulatim cedat, opus est *practica* sive *morali* librorum sacrorum interpretatione, h. e. ea, quae auctorum divinorum verbis omnino tribuat sensum, qui cum rationis practicae notionibus ac decretis optime conveniat, si vel ille sensus non videatur ex verborum ac formularum natura et contextu proprie existere, dummodo in se admitti atque tolerari possit, et hac *sola* ratione omnis profanorum atque impiorum dictorum species excludatur (p. 149. sq.)." Hactenus ille.

Quaeritur nunc, quid sit de hac *morali* literarum sacrarum interpretatione iudicandum? *num* et *quatenus* probari possit? an vero debeat omnino repudiari? Sed antequam huic disquisitioni vacare licet, primum omnium, quid *Kantius* ipse in proponenda hac summa scriptorum divinorum interpretandorum lege vere cogitaverit, et quomodo intelligi eam voluerit, breviter erit expediendum. Nam de hac quoque primaria quaestione non eadem est virorum doctorum sententia; neque poterit, nisi statu controversiae accurate definito, omnis causa recte iudicari.

Duplici nimirum sensu hermenevtica *Kantii* regula intelligi potest, et vero fuit intellecta. *Aut* enim significabit: omnia Codicis Sacri dicta, quae ad religionem pertinere putentur, ad sensum, qui cum rationis practicae notionibus con-

ſpiret, ita revocanda eſſe, ut, ubi non inſit ſenſus moralis, v. c. in hiſtoricis et arbitrariis decretis, ſola auctoritate innixis, detorqueantur verba, et ſententia purior, neglecto grammatico et hiſtorico ſenſu, atque invito orationis contextu, inferatur 21). *Aut* ita capi poteſt, ut de ſenſu ſcriptoris menti alieno plane non cogitetur, ſed, quae abſoluta grammatica et hiſtorica interpretatione, univerſa ſint et rationis excultae iudicio probentur, ea in communem uſum excerpantur, quae autem contra videantur, una cum orationis et ſententiarum involucris atque integumentis, aetati ſuae ſuoque populo relinquantur 22).

21) Ita *Kantium* intellexerunt: *Eichhorn, Roſenmüller, Eckermann, Tieftrunk, ſcriptor anonymus* im *N. theol. Journ.* Voll. III. p. 461. ſqq. *Penzenkuffer*, alii.

22) Hanc fere *Kantii* mentem eſſe ſtatuerunt, aut potius, hoc ſenſu *moralem* interpretationem ſumi voluerunt: *Ammon, Poelitz, Francke.* Caeterum illi Duumviri, quos primo loco nominavi, ſenſus alieni ſcriptorum divinorum verbis *adnectendi* neceſſitatem coram concione defendunt (de quo infra); hic autem probare ſtudet, a philoſophia critica grammaticae librorum cum profanorum tum ſacrorum interpretationi nullum imminere periculum, cum *Kantii* conſilium eo tantum pertinuerit, ut quaedam certa norma praeſcriberetur, ad quam, tamquam lapidem Lydium, quaecunque unquam ſive a philoſophis ſive a popularibus ſcriptoribus dicta ſint et prolata, exigi poſſint ac debeant.

Utra igitur explicatio verum *Kantianorum* dictorum sensum reddet? utram genuinam putabimus? Prior, ex meo quidem iudicio, aut omnino locum habet, aut certe a vero propius abesse censeri debet. Hanc enim, opinor, quicumque omnem *Kantii* librum attente et sine partium studio perlegerit, tam ex ipso praeceptorum Kantianorum ingenio, quam ex perpetua auctoris consuetudine, librorum sacrorum effata in alienum sensum detorquendi, naturali et logica consecutione existere iudicabit. Aperte nimirum *Kantius* morali sive practico sacrarum literarum interpreti licere inquit, puriorem sententiam ubicunque fieri possit, substituere, si vel vis fiat doctorum divinorum verbis (p. 150.); neque ipsi quaerendum esse, utrum sensus ille sublimior atque purior scriptoris menti obversatus fuerit, an vero eius verbis ex arbitrio inferatur, dummodo in se ac sine omni historica probatione verus sit, et ad moralem hominum emendationem conducat (p. 43. nota *). Illustrat deinde hanc interpretandi rationem exemplo cum antiquiorum tum recentiorum populi doctorum inter varias gentes, qui similiter libros suos sacros ita tractaverint et explicuerint, ut omni sententiarum impietate remota verior ac purior sensus prodiret (p. 150.). Quid vero haec exempla aliud illustrare possint, quam hoc: licere publico religionis doctori alium, quam qui grammatice existat, sensum scriptorum divinorum verbis affingere, equidem non video.

Denique cum unusquisque verborum ſuorum optimus ſit interpres, facile intelligitur, quem ſacrorum dictorum uſum *Kantius* per totum librum ipſo facto expreſſerit et deſignaverit, eum iſta quoque interpretationis lege commendari debuiſſe atque ſignificari. Iam ubique fere proprius verborum ſenſus a *Kantio* negligitur, alieno in eius locum ſubſtituto. Evolvat, cui haec ignota ſint, pag. 44. 67. ſqq. 168. 194. 228. ed. 1. et pag. 158. ed. 2. atque vera me dixiſſe confitebitur.

Patet igitur ex his omnibus, unicum *Kantii* conſilium in promulganda practicae interpretationis lege eo ſpectare, ut, quae Sacri Codicis dicta mere hiſtorici ſint argumenti, et neque ad veram religionem pertineant, neque moralem animorum emendationem iuvare poſſint, verbis quidem retineantur, ne omnis librorum ſacrorum honos atque auctoritas cadat, ſenſu autem omnino atque ita mutentur, ut cum rationis practicae notionibus et decretis conveniant. Hinc recte colligitur, qui *Kantium* in interpretando propriam verborum ſignificationem nihil curare inſimularunt, melius eius mentem cepiſſe, quam qui contra disputarunt. Sed erant a Kantianae interpretationis adverſariis, antequam de omni hac re iudicium ferretur, ea quoque diligenter ponderanda, quae Auctor ipſe ſententiae ſuae illuſtrandae cauſa paſſim monuit, et de quibus nunc eo lubentius dicemus, quo magis et *Kantium* ab iniuſtis nonnullo-

rum criminationibus vindicabunt, et iudicium nostrum de universa causa rectius informabunt.

Primum quidem *illustris* KANTIUS monet, nolle se suam libros sacros tractandi rationem pro vera atque propria *interpretatione* haberi, quippe quam rationis philosophantis fines excludant, qui eo tantum usque pertineant, ut, quemnam liceat *usum moralem* ex singulis Sacri Codicis locis elicere, doceatur atque decernatur (p. 43. nota *). Deinde idem adiungit, eam interpretationem, quae variis doctrinae copiis et iusta linguarum scientia nitatur, neutiquam a se sperni aut turbari (p. 221.); quamquam illam practicae interpretationi postponendam iudicet (p. 153.). Denique tantum abest, ut *Kantius* de vera eruditione et docta linguarum intelligentia detrahat, ut potius cum ad probandam et vindicandam historicam sacrorum librorum fidem, tum ad grammaticam eorum interpretationem iuvandam, huius adiumenti necessitatem ipse agnoscat et tueatur (p. 153 sqq.). Caeterum non licere solum, sed nostri etiam officii rationes postulare, ut moralem dictis sacris tribuamus sensum, iudicat *Kantius* (p. 106.); dummodo ne purior ille sensus ipsorum auctorum menti falso obtrudatur, sed omnis haec de vera atque genuina doctorum divinorum sententia quaestio in medio relinquatur (p. 152.).

Poterunt iam, universa Kantianae interpretationis ratione adumbrata, quae *minus commode*

ab adversariis prolata et opposita videantur, facili negotio notari ac corrigi. Et primum quidem, qui *Kantium* ad communia hermenevtica praecepta et ad ipsam interpretationis notionem delegabant, eos omne oleum atque operam perdidisse, facile intelligitur. Quasi enim sagacissimus philosophus, quid sit interpretari, nesciat! et quasi non sua sponte pateat, *Kantium* duntaxat *moralem* librorum sacrorum *usum*, non interpretationis, quae proprie dicitur, artem docere voluisse et commendare! communes hermenevticas leges probe novit *Kantius*, et in ipsa interpretatione servari iubet; sed cum nunc de hac prorsus non quaeratur, ex illis quoque rem non posse iudicari apparet.

Allegoricam et mysticam libros sacros interpretandi rationem a *Kantio* revocari et instaurari, queruntur alii; sed aequo h. e. nullo iure. Partim enim, ut iam dixi, *Kantius* de interpretatione omnino non loquitur, nec, ubi eius mentionem facit, nisi grammatice et historice hanc institui debere, claris verbis significat. Qui ergo allegoricae interpretationis instaurator recte haberi potest? Partim vero ipsa libros sacros tractandi methodus, quam allegoriarum sectatores et patroni praecipiunt, a Kantiana ratione toto coelo distat. Illi vanos ingenii lusus sequuntur, hic certa rationis decreta; illi suam sententiam auctori ipsi obtrudunt, hic fieri illud vetat; illi sensum verborum in infinitum multiplicant, hic unum li-

teralem defendit, quamquam eum ubique doceri nolit; et quae ſunt talia plura.

Porro ne, admiſſis *Kantii* praeceptis, nova ſubtili linguarum intelligentiae barbaries inducatur, omnisque vera eruditio inter Theologos contemnatur et deſpiciatur, verentur adverſarii. Cum enim, inquiunt, ad *moralem* ſive *practicam* ſcriptorum divinorum interpretationem, quae ſola, ex *Kantii* opinione, communi ſaluti inſerviat, non opus ſit multa doctrina et varia literarum ſupellectile, ſed unicus ſenſus moralis ſufficiat; quid tandem publici religionis doctores et divinae voluntatis interpretes ingratam linguarum diſcendarum moleſtiam amplius ſuſcipiant? quid ea curent, quae nihil ſibi aliisque prodeſſe ſciant? quidni potius omne verae eruditionis ſtudium miſſum faciant et exſecrentur? Habent ea, fateor, magnam veri ſpeciem, ſed tamen eſt ſpecies, quae ſtatim evaneſcit, ſi res diligentius ponderatur. Scilicet non poteſt moralis interpretatio cogitari, niſi grammatica et hiſtorica praeceſſerit. Quid verba proprie ſignificent, et quae ſit vera auctoris ſententia, conſtitui debet ante, quam, quem moralem ſenſum admittat oratio, quaerere licet. Ita certe fieri vult *Kantius*, idemque eius amici (maximam certe partem) uno ore repetunt. Ille nimirum practico interpreti adiungit eruditum ſacrarum literarum inveſtigatorem, qui ſit varia linguarum ſcientia inſtructus, artis criticae gna-

rus, et in multiplici terrarum atque populorum hiſtoria verſatus, qui mores, philoſophiam, opiniones, inſtituta, ritus omnemque culturam antiquarum gentium probe noverit, et cui duplex munus adſignari debeat, ut et, quae ad originem, integritatem, fidem et auctoritatem librorum ſacrorum pertineant, ſcrutetur, idoneisque argumentis certos disquiſitioni ſuae fructus demonſtret, et veram doctorum divinorum ſententiam ſingulis locis grammatice et hiſtorice expediat. Hanc *eruditi* interpretis operam excipiet, ex *Kantii* ſententia, *practici* interpretis ſtudium examinantis atque definientis, quae Sacri Codicis dicta moralem ſenſum admittant, quae non, et qualis ſenſus ſingulis locis optime tribui poſſit. Ut igitur, quae ſint *eruditi* et quae *practici* interpretis partes, et quod utrisque intercedat neceſſitudinis vinculum, ex his *Kantii* verbis recte cognoſcitur, ita facile etiam patet, quantopere fallantur, qui ex Kantiana libros S. tractandi ratione novam barbariem et linguarum inſcitiam omnisque verae eruditionis contemtum metuere videntur. *Kantius* certe huius infauſtae praeſagitionis auctor ſuaſorque recte haberi nequit, cum grammatica et hiſtorica ſacrarum literarum interpretatio, ad quam rite inſtituendam larga doctrinae copia opus eſt, ab ipſo non modo non turbetur et ſpernatur, ſed morali etiam interpretationi fundamenti loco inſervire iudicetur.

Ad oppositiones, quibus Kantiana librorum S. tractatio *minus commode* impugnari videtur, ea quoque pertinet, quod sic omnis scripturae S. fides cum mythologicarum fabularum ineptiis aequetur. Tantum enim abest, ut *Kantius* usquam veram divinamque religionis doctrinam in Codice christianorum Sacro contineri negaverit, adeoque omnia eius loca, si moralis inde usus deduci debeat, primum in alienum sensum detorquenda esse iudicaverit, ut potius ipse egregium praeceptorum christianorum cum rationis practicae decretis consensum singulari quodam operis sui capite demonstrare studuerit. Interim multa quoque, quae ad moralem animorum emendationem nihil faciant, bonis illis decretis admista esse, idem iudicavit; hancque ipsam ob causam, ut nimirum, quae nostris de vera religione notionibus non convenirent, sensim oblivioni traderentur, promulgavit legem suam de *morali* sive *practica* sacrarum literarum interpretatione. Itaque *Kantius* neque de doctrinae christianae auctoritate et excellentia detraxisse, neque scripturae S. fidem impugnasse et cum mythologicarum fabularum ineptiis aequasse recte poterit insimulari.

Sunt alia adhuc, quae Kantianae libros S. tractandi methodo paulo iniquius opposita videantur. Sed nolo in his repetendis et corrigendis longius versari, partim ne iusto prolixior fiat

omnis haec disputatio, partim ne in notandis eorum, quos caeteroquin summa animi pietate colo ac veneror, Virorum peccatis mihi ipse placere videar, quae quidem iuvenilis ingenii temeritas recte habetur dementissima. Illud potius nunc agam, quod instituti mei ratio postulat, ut nimirum, et quae mea sit animi sententia quodque iudicium de Kantiana, qualem supra descripsi, librorum S. tractatione, et quae ex aliorum monitis mihi probentur, in publicum proferam. Ut autem omnis disputatio ordine suo procedat, ipsum *Kantium* sequemur, et primum fundamenta suae interpretationis, deinde ipsam legem severo neque cupido iudicio subiiciemus.

Iam illud quidem dubio caret, et lubentissime a nobis conceditur, veram religionem cogitari non posse, nisi quae communibus summae legis moralis postulatis satisfaciat, sitque adeo necessariis et immutabilibus rationis nostrae notionibus atque decretis superstructa 23). Cum enim maxima hominum prae reliquis animantibus praestantia in rationis facultate et usu insit, cum omne

23) Cf. Tieftrunk *Versuch einer Kritik der Religion und aller religiösen Dogmatik, mit besondrer Rücksicht auf das Christenthum.* Berol. 1790. 8. p. 99. sqq. et Eiusdem *Censur des Christl. Protestant. Lehrbegriffs.* T. I. p. 138. sqq.

veri ac falfi, boni et mali, iufti pravique difcrimen a rationis indicio pendeat, cum neque humanae naturae dignitatem tueri et provehere, neque ad maiorem cum fummo numine fimilitudinem contendere poffimus, nifi diligenti rationis noftrae cultura et affiduo eius praeceptis obediendi ftudio; qui tandem purior ac verior religio exiftat, quam fi tota ad fanae rationis dictata componatur? qui fublimior dei cultus, quam ex accurata legum fuarum, quas non tabulis publicis fed uniuscuiusque menti atque animo impreffit, et inveftigatione et reverentia? Eximia huius purioris religionis dignitas in eo inprimis cernitur, ut omnis caeca fides, omnis alieni arbitrii et exempli auctoritas, omnis in agendo ftimulorum pravitas, omnis obfcuritas et repugnantia in ipfis religionis placitis et inftitutis, omnis denique facrarum ineptiarum vis excludatur; contra nihil in praeceptorum divinorum, fidei ingenuitate agnofcendorum et vitae probitate exprimendorum, numero habeatur, nifi quod verum fit, et intelligatur, et rationis iudicio probetur. Ut igitur vera religio rationis practicae fundamento unice innititur, et neque mentis noftrae captum fuperare, neque certis fanae rationis praeceptis contradicere debet; ita facile etiam patet, quamvis fupremum in caufa religionis judicium rationis practicae et fummae legis moralis tribunali concedatur ac vindicetur, neutiquam tamen *revelatae* religionis fi-

dem eo impugnari, aut de vero eius pretio detrahi, ſed tantum exactam quandam normam praeſcribi atque conſtitui, ad quam, tanquam lapidem Lydium omnis revelationis, in facto poſitae, veritas et divina origo exploretur 24). Cum nimirum deum, qui aeternas illas ac neceſſarias veri et recti leges animo noſtro ita inſculpſit, ut nos vel invitos earum auctoritatem revereri oporteat, ſecum ipſum pugnantem cogitare abſurdum ſit, optimo cum iure, quidquid contra illas leges et certa ſanae rationis decreta offendat, id omne

24) Vid. *Predigten zur Beförderung eines freyen und vernünft. Denkens in d. Religion.* T. II. *Ueber die Rechte der Vernunft in d. Relig.* Gorlicii. 1795. 8. et Ziegleri *Vernunft- und Schriftmäſsige Erörterung, daſs der Beweis für die Wahrheit und Göttlichkeit der Chriſtl. Religion mehr aus der innern Vortreflichkeit der Lehre, als aus Wundern und Weiſſagungen zu führen iſt;* in Henkii Magazin. T. I. P. I. p. 20. ſqq. Ad calcem diſputationis (p. 91.) haec univerſa ſententia proponitur: „*Nur die gröſsre Summe reiner Wahrheit und der göttliche Gehalt einer geoffenbarten Lehre kann für die Wahrheit und Göttlichkeit der Offenbarung ſelbſt entſcheiden.*" Conferri quoque poſſunt, quae monuerunt: *Auctor* Comment. *Etwas zur Kritik der bisherigen Dogmatik;* in Henkii *Magazin* T. I. P. III. p. 379. ſqq. et Noesseltus in *ſ. Anweiſung zur Bildung angehender Theologen.* T. II. §. 156. 157. p. 229. ſqq. ed. 2. Halae. 1791. 8.

non a revelatione divina ortum ſuum duxiſſe, neque adeo verae religionis praeceptis recte adnumerari poſſe, defenditur. Hinc etiam iudicari poteſt, quam male *revelata* et *rationalis* ſeu philoſophica religio ſibi opponantur, cum tantummodo fontis, non item argumenti et conſilii ratione differant 25). Revelata ſcilicet religio, quippe cum rudiorum hominum ingenio ac neceſſitatibus ſubvenire et accommodari debuerit, quae docet et praecipit, fere ſemper ad auctoritatem et nutum divinum revocat; philoſophica contra non niſi a certis et exploratis ſanae rationis decretis omnem ſuam doctrinam repetit atque derivat. Ea igitur ſola eſſe revelatae et rationalis religionis differentia videtur, quae vero ipſa non adeo magni eſt momenti, et praeterea etiam ſucceſſu temporis atque aucta ingeniorum humanorum cultura certo quodam ſenſu prorſus evaneſcit. „Quo enim magis emergunt homines, inquit *ve*„*nerandus* HENKIUS 26), eo minus pondus illis „habet vel in cogitando vel agendo auctoritas

25) Cf. FICHTE *Kritik aller Offenbarung.* ed. 2. Regiomont. 1793. 8. in primis §. 4. p. 71. ſqq. et §. 11. p. 163. ſqq.

26) *Lineamenta inſtitutionum fidei Chriſtianae hiſtorico-criticarum;* auctore HENR. PHIL. CONR. HENKE. ed. 1. Helmſtad. 1793. 8. §. 2. p. 3.

„aliorum, iique, qui sibi ipsi verum et rectum re„periendi vindicant facultatem et libertatem, „omnem sensim abiiciunt arbitrii et exempli „alieni reverentiam, nisi intelligant simul illius „cum suis ipsorum iudiciis et institutis concor„diam. *Hinc et omnis revelata religio paulatim in „rationalem transit*, et eo eniti potest homo, ut „alienae institutioni non amplius fontis, sed ca„nalis, non lucis, sed lucernae, beneficium tri„buat, quo, quas ipse iam sua opera exploratas „habet notitias, facilius ac maturius ad ipsum „deductae sunt.“ Atque ita eo tandem pervenitur, ut in causa religionis non, *quid* scriptum, sed *quare* et *quam vere* aliquid scriptum sit, quaeratur, ut singulorum dogmatum fides et auctoritas non ad literam scriptam, sed ad necessaria sanae rationis decreta et notiones exigatur, utque adeo omnis animi obligatio non ex eo existere iudicetur, quod hoc vel illud scriptum sit, sed quod lex summa morum ita fieri iubeat, et ratio dei ipsius voluntatem ita recte exprimi intelligat.

Cum igitur *Kantii* sententia: verae religionis nomen ad eum tantum summi Numinis cultum pertinere, qui totus sit ad summa rationis nostrae praecepta compositus: omnino valeat, sive prima huius religionis notitia ex institutione aliena et divina revelatione, sive ex propria homini cogitandi virtute, derivetur; non potest non uni-

cuique planum esse atque perspicuum, primarium publicorum religionis doctorum officium eo contineri, ut singuli in hac puriore religione iuvanda, propaganda et ab alienis additamentis ac depravationibus purganda, pro virili elaborent. Neque poterit vel a rei ipsius difficultate, vel ab impedimentorum mole atque pertinacia, vel a dubio studiorum eventu idonea omissi laboris causa deduci. Ubi enim semel quis officii necessitatem intellexerit, ei non amplius licet quaerere, utrum difficile sit negotium, et molestum, et offensionis atque invidiae plenum, utrum laetus rei eventus sperari possit, an vero ingratus et adversus. Haec talia curare et anxie quaerere, ipsa officii notio vetat. Praeterea non est, quod de fausto operis nostri, de quo nunc loquimur, successu nimis solliciti simus et timeamus, cum rara temporum et hominum nostrorum felicitas hoc nostrum studium, dummodo sapientia et circumspectione regatur, egregie sublevare videatur. Illa enim iam dudum praeterierunt tempora, quibus omnem circa receptam religionis formulam meditationem ac philosophiam cane peius et angue vitari, omnem de quocunque systematis theologici capite dubitationem pro certissimo summae impietatis indicio haberi, omnemque rationis usum in causa fidei aut omnino cessare, aut ad insana maiorum decreta stabilienda et confirmanda componi, voluit vulgaris hominum opinio; nec unquam

haec temporum barbaries redibit, quidquid superstitionis et male sanae pietatis patroni atque fautores contra nitantur. Namque saniores ac puriores religionis notitiae iam usquequaque sparsae sunt, et ex singulis hominum ordinibus ingenuae veritatis regno innumeri cives melioris doctrinae atque institutionis ope accesserunt; liberalius philosophiae studium iura rationis nostrae aeterna ita et detexit et vindicavit, ut vel illi, quorum interest inveteratam patrum fidem tueri, manifestam cum exploratis sanae rationis decretis dissensionem, quae vulgo crimini ipsis datur, a se suisque opinionibus omni modo defendere atque propulsare studeant, nec detestandum illud *Tertulliani* placitum: *credo, quia impossibile est, credo, quia absurdum est*: ulli hominum, nisi fanaticae *Lavaterianorum* nonnullorum turbae probetur. Hinc temporis nostri felicitas, quippe puriori religioni stabiliendae et propagandae favens, recte celebratur.

Pergit *Kantius* hunc fere in modum: „ut „vera religio, de qua iam convenimus, inter ho„mines rite fundetur, et altiores in dies radices „in eorum animis agat, opus est in institutione „populari publicarum tabularum, quarum sum„ma sit auctoritas et fides, sive Codicis cuius„dam sacri adminiculo. Eorum enim, quibus „tanta contigerit mentis excultae ingeniique sub„acti virtus, ut propria ipsis vi huius religionis

„naturam ac neceſſitatem perſpiciant et aſſequan-
„tur, perexiguus eſt mortalium numerus; maior
„pars alienae diſciplinae adminiculo indigent et
„externo quodam fidei ſuae fundamento, quippe
„ſuarum virium et facultatum ignari, nec rectum
„earum uſum edocti: ſingulis autem hominum
„coetibus, religionis cauſa collectis, communem
„credendorum et agendorum normam, ad quam
„omnis circa religionem inſtitutio revocetur, con-
„ſtitui oportet ac praeſcribi. Iam vero non inte-
„grum ſemper eſt et in noſtra poſitum voluntate,
„*qualis* liber Codicis ſacri nomine veniat atque
„colatur. Namque ſolet plerumque in quavis
„fere ſocietate religioſa (*eccleſiam* dicunt) ab
„antiquiſſimis inde temporibus talis ſcriptura ſa-
„cra, tamquam communis publicae inſtitutionis
„norma, aſſervari, cuius quidem auctoritas et
„fides non niſi cum maximo ipſius religionis peri-
„culo impugnari poteſt ac debet, cum Codicis il-
„lius origo ex vulgari, neque ea ſemper vana, opi-
„nione ad deum ipſum, tamquam auctorem, re-
„feratur. Quamvis igitur puriorem atque verio-
„rem religionem, quae ſacroſanctis rationis no-
„ſtrae decretis et probetur et innitatur, iuvare
„hominumque animis inſtillare, primarium pu-
„blici doctoris officium recte cenſebitur, neuti-
„quam tamen hoc ita intelligi poterit, ut literis
„ſacris, a ſingulis hominum coetibus receptis,
„quae per longum tempus gravitate ſua ſteterunt,
„et quarum ſumma adhuc eſt in vulgus auctoritas,

„ſuus honos ſubito et uno quaſi ictu detrahatur, „et vel novae condantur, vel omnis ſcriptorum „ſacrorum uſus ab inſtitutione populari prorſus „removeatur. Hoc enim commemoratas ob cau„ſas fieri nec poteſt nec debet. Itaque tantum ab„ſit, ut in libros, qui ſacri a noſtris hominibus „habentur, iniurioſi ſimus et inuehamur, ut po„tius in eorum fide ſtabilienda ac vindicanda ela„boremus, ipſisque adeo ad veram religionem in„troducendam et propagandam, adminiculi loco, „utamur."

Duo ſunt momenta, de quibus *Kantius*, his allatis verbis, ex univerſo eius opere collectis et in ſummam quandam atque ordinem redactis, monere voluit. Partim enim ſcripturae cuiusdam ſacrae neceſſitatem ad condendam et ſuſtentandam eccleſiam affirmat atque defendit; partim vero, ut Codex, cuius ab antiquiſſimis inde temporibus publica atque divina auctoritas et perpetuus uſus in eccleſia obtinuerit, non temere reiiciatur aut abrogetur, ſed potius, dummodo bona fide hoc fieri poſſit, retineatur atque ita tractetur, ut vel puriori religioni ſtabiliendae et iuvandae, adminiculi loco inſerviat, vult ac praecipit. Utrumque *Kantius*, quod eius eſt acumen, egregie monuit, nec poteſt a noſtra parte quidquam, niſi lubentiſſima aſſenſus ſignificatio adiici, cum de eodem ſit omnino iisdemque de cauſis nobis perſuaſum, ſive univerſe haec dicta putentur, ſive ad

publicam Christianae fidei confessionem propius applicentur. Etenim vulgus ob ingenii imbecillitatem fidei vitaeque suae et omnis religionis exemplo quodam, literis expresso, quod divinam auctoritatem praeseferat, opus habet; cumque talis formula (τυπος) non nunc demum describenda sit et introducenda, sed a maioribus ad nostram aetatem plerumque pervenerit, publicum doctorem hanc retinere suisque rationibus accommodare, neque eius fidem infringere, sed defendere et confirmare, oportet. Hoc certe partim prudentia suadet, partim vero religio iubet, si nimirum ex accuratiore investigatione vere divinam doctrinam Codice isto contineri apparuerit; quod quidem circa sacros Christianorum libros omnium maxime observari, quivis rei peritus facile concedet.

Sed iam quaestio gravissimi momenti, quae ipsam causae nostrae arcem propius tangit, vel invitis nobis sese offert. Cum nimirum sacrae illae literae, quas, ab ecclesia semel receptas, publicae salutis ergo in institutione populari retinendas esse iudicavimus, plerumque remotissimis temporibus, in rudiorum hominum gratiam, et a viris illiteratis conscriptae fuerint, hancque ipsam ob causam plura praecipiant, quae nostris hominibus ac temporibus parum quadrent, nec excultae rationis iudicio probentur, aut cum verae religionis decretis omnino conveniant; quaeritur, *quo-*

modo publicus religionis doctor haec antiquitatis monumenta, salva caeteroquin eorum auctoritate, ita tractare possit, ut ecclesiae cives a vanis illis opinionibus, quae passim impressae sunt, sensim avocentur, et ad veriores ac puriores religionis notitias unice instituantur? *qualem* igitur librorum sacrorum usum publicis religionis doctoribus commendari oporteat, si singulis illorum effatis eandem fidem atque auctoritatem concedere nefas est? Quaestionis huius, universe spectatae, solutio sine dubio ob diversam librorum sacrorum, singulis ecclesiis probatorum, rationem diverse instituetur. Cum vero, quomodo aliarum ecclesiarum doctores Codicem suum tractare oporteat, longum sit quaerere, nec scire nostra multum referat, hos mittamus, et de libris, quos Christiani sacros habent, accommodate ad seculi nostri rationes tractandis, unice exponamus, ubi antea de eo convenerimus, utrum his quoque scriptis quaedam inutiles, vanae et a communi usu alienae opiniones, quas propagari et divinae doctrinae admisceri nolint verae religionis amici, ab ingenio aetatis et auctorum impressae sint, nec ne? utrum igitur *omne* eorum argumentum ad *nos* pertineat, an vero multa solis illorum temporum aequalibus scripta censeri debeant? Neque enim de tollendis et ex hominum memoria extinguendis vanis scriptorum sacrorum opinionibus recte cogitari posse, nisi antea eas vere inesse his scriptis demonstratum sit, aeque patet, atque contra,

ubi nimirum eas non inesse, sed omnia scripturae sacrae effata cum verae religionis decretis optime conspirare probatum fuerit, non inepte defenditur, universum publici doctoris munus hoc uno absolvi, ut libros sacros ecclesiae civibus rite interpretetur, et de vero eorum argumento, quippe omnes ac singulos omnium aetatum et nationum homines pariter obligante, certiores ipsos faciat. Hinc non incommode posteriorem hanc disquisitionem priori illi, quae erat principalis, praemitti existimo.

Itaque ergo quaeritur: utrum Novi Testamenti libri quaedam praecipiant, quae, utpote perversis aetatis suae opinionibus superstructa, cum nostris de vera religione notionibus non conveniant, quae moralem hominum emendationem vel non iuvent vel adeo impediant, quaeque hanc ipsam ob causam a publico doctore veritatis diligente, in institutione populari servari, et pro indubitatis religionis decretis tradi, neutiquam liceat? Patet vero, captiosae huius et spinosae quaestionis rite solvendae non nisi primas quasi lineas nunc quidem a nobis duci posse, cum prolixiorem tractationem, ut alias causas taceam, consilii nostri ratio et angusti scriptionis huius fines excludant. Caeterum cum omnem dissimulationem homine liberali et ad veram eruditionis laudem adspirante indignam iudicemus, candide et simpliciter, uti decet, sententiam nostram

de propoſita quaeſtione aperiemus, ſi vel ea mentis ingenuitate, multorum in invidiam incurramus.

Paſſim igitur quaedam libris Chriſtianorum ſacris ineſſe, quae rude et incultum aetatis ſuae ingenium referant, quae rationis practicae et ſummae morum legis iudicio parum probentur, quae ad verae religionis exercitationem et moralem hominum emendationem nihil conducant, quaeque adeo a quovis veritatis ac virtutis magiſtro non adeo curari et in certis religionis decretis numerari, ſed auctoribus ſuis relinqui, piisque hominum noſtrorum meditationibus amice ſubduci, oporteat, ingenue et cum certa animi perſuaſione profitemur. Nec deeſſe nobis exiſtimamus argumenta idonea, quae huic noſtrae ſententiae commendandae atque tuendae apprime inſerviant. *Primum* quidem certum eſt et extra omnem dubitationis aleam poſitum, non ipſam divinitus patefactam religionis doctrinam, eamque ſolam atque integram, in libris Chriſtianorum ſacris contineri, ſed tantum de conſervatione, propagatione atque uſu doctrinae huius, quae antea iam doctoribus ſacris ex divina revelatione innotuerat; et de variis hominum circa eam ſtudiis, hiſtorice exponi 27). Hinc facile iudicari poteſt,

27) De eo graviter et repetitis vicibus monuit EICHHORNIUS, variis *Bibliothecae ſuae biblicae* locis, inprimis etiam, cum nuper adverſus mo-

quam male et inepte *verbi divini* nomine hi libri infigniri foleant, cum rectius variarum, a doctoribus divinis confcriptarum, ad hiftoriam revelatae religionis pertinentium, et publica auctoritate receptarum, literarum collectionem eos dici, appareat. Certe *haec* denominatio veram horum fcriptorum rite aeftimandorum rationem optime exprimit, *illa* contra vanis ac praeiudicatis opinionibus unice innititur, et ad easdem fovendas atque alendas temere compofita videtur [28]. Inde vero illud quoque fequitur, non licere fingulis Codicis S. dictis unam eandemque auctoritatem concedere, cum non poffint non plura aliena ineffe, quae non ex divina revelatione ortum fuum duxerint, nec adeo ad veram religionem pertineant. Idem *porro* intelliges, fi ad confilium et caufas horum fcriptorum componendorum attenderis. Scilicet non eo confilio N. T. libros fcriptos effe, ut omnia religionis Chriftianae capita ordine continuo ac definito traderentur, et certa quaedam atque immutabilis fidei vitaeque

rofiores quosdam interpretationis Kantianae patronos difputaret. Conferri quoque poteft ECKERMANN in *d. theolog. Beytr.* T. IV. P. I. p. 249.

28) Cf. TOELLNERI Comment. *Ueber den Unterfchied der Heiligen Schrift und des Wortes Gottes;* in *f. vermifchten Auffätzen.* Collect. I. p. 81. fqq. et NIEMEYERI *popul. u. prakt. Theologie.* §. 286. p. 405. fqq. ed. 3. Halae 1795. 8.

formula describeretur, quae ad omnium insequentium aetatum homines pariter pertineret, inter omnes constat. Scriptores sacri ad *suorum* temporum aequales, et in publicum privatumve *primorum* Christianorum usum, ut primum docere, monere et praecipere opportunum videbatur atque necessarium, scripta sua exarabant 29), nec adeo serae posteritatis rationes multum curare po-

29) Verum esse, quod dixi, multi quidem superiorum inprimis aetatum Theologi vel negasse vel certe ignorasse videntur; sed quo iure et quibus de caussis hoc ita fieri potuerit, nemo facile intelliget, cum res ipsa sententiae nostrae veritatem adeo evidenter doceat, ut iustae dubitationi nullus omnino locus relinquatur. Cf. Niemeyerum l. l. §. 5. p. 6. sqq. Historici quidem N. T. libri eo maxime consilio compositi sunt, ut, quis et qualis novae doctrinae, quae proponeretur, auctor, et quae doctrinae huius origo, propagatio et facta fuerint prima, tirones Christiani cognoscerent. Epistolarum autem Apostolicarum illud commune fuit consilium, ut tirones Christiani divinae religionis naturam penitius perspicerent, utque eorum animi in hac religione tuenda et vitae ac morum integritate exprimenda confirmarentur. Caeterum diversum fuit singulorum N. T. librorum consilium, ex peculiaribus diversorum temporum et hominum rationibus repetendum. Exposuit de hac consilii diversitate Zachariae in *f. Biblisch. Theologie.* T. I. p. 6. sqq. introductionis. Cf. omnino Ioh. Dav. Michaelis *Einleitung in die göttlichen Schriften des Neuen Bundes.* T. II. ed. 4. Gotting. 1788. 4.

terant. An vero, quae certis hominibus, certo quodam tempore ſcribebantur, ea omnia *univerſe* valebunt? nihilne Iudaeis et Gentilibus, recens ad ſacra Chriſtiana converſis, ita proprium fuit et peculiare, quod eodem modo ad nos, ſub alio caelo degentes, longo temporis intervallo ab illorum aetate remotos, et a Chriſtianis parentibus ſusceptos atque educatos, transferri poſſet ac deberet? nihil igitur noſtra mentis ingeniique indoles a primorum Chriſtianorum cogitandi, ſentiendi agendique ratione differt? quae infantibus porrigebantur alimenta, eadem et adultis apta eſſe putabuntur? Profecto haec talia ſtatuere et affirmare, ipſe ſenſus communis vetat. Mutatis temporibus mutantur homines, nec, quae olim accommodate ad certae cuiusdam gentis et familiae neceſſitates tradebantur, eadem et nunc omnino valere poſſunt. Accedit alia, eaque *tertia* cauſa, quae ſententiam noſtram: non omnia ac ſingula N. T. effata uno eodemque numero habenda, et in exploratis verae religionis decretis collocanda eſſe: egregie confirmare atque ſtabilire videtur; ducta illa cum ab ingenio, tum a prudenti ſcriptorum ſacrorum ad lectores ſuos accommodatione. Apoſtolos enim caeterosque N. T. ſcriptores a prima pueritia Iudaico more inſtitutos atque educatos, et, dum divinus eorum doctor in his terris degebat, multis populi ſui opinionibus vanis imbutos fuiſſe, tam certum eſt, et tam clare ex ipſis narrationum de vita ſua

omnique ſtatuendi ratione reliquiis intelligitur, ut uno tantum verbo de eo monuiſſe ſufficiat. Neque etiam poſt reditum Chriſti ad Patrem et poſt ſubſecutam Spiritus Sancti effuſionem, quam Theologi dicunt, omnis eorum animus ita immutatus eſt, et per ipſam rei naturam immutari potuit, ut commentorum patriorum opinionumque praeiudicatarum, nationi ſuae propriarum, et a maioribus per manus quaſi traditarum, nihil reſideret 30); quod vel ſolum Petri exemplum (Act. X, 9. ſqq.) ſatis luculenter docet. Ut vero haud

30) Idem monuerunt ECKERMANNUS in *d. theolog. Beytr.* T. II. P. I. p. 180. ſq. atque LOEFFLERUS in libro huius tituli: *Döderleins, Eckermanns und Löfflers Gutachten über einige wichtige Religionsgegenſtände. In Beziehung auf den Religionsproceſs des Pred. Schulz in Gielsdorf.* Gorlicii. 1794. 8. p. 37. Conferri etiam poteſt Progr. Pentecoſt. Gotting. anni 1789, a I. P. MILLERO conſcriptum, quo docetur, *cum Theopnevſtia Apoſtolorum nec omniſcientiam quaſi aliquam, nec anamarteſiam fuiſſe coniunctas.* Similiter iam ERASMUS iudicavit, qui, „non eſt neceſſe, inquit, ut, quidquid fuit in Apoſtolis, protinus ad miraculum vocemus. *Paſſus eſt errare ſuos Chriſtus, etiam poſt acceptum paracletum,* ſed non usque ad fidei periculum." Vid. ERASMI *Epiſtolae.* Lib. II, Oper. Tom. III. p. 97. ed. Baſil. 1540. fol. Innotuit mihi hic locus ex libro variae et copioſae doctrinae pleno, dico *Herb. Marsh's Anmerkungen und Zuſätze zu I. D. Michaelis Einleitung ins N. T. Aus d. Engl. überſetzt von E. Fr. K. Roſenmüller.* T. I. (Gotting. 1795. 4.) p. 22.

facile quispiam erit, qui, quae ipse male et perverse cepit, eadem alios recte docere possit, ita sponte intelligitur, quam parum credibile sit, hos tales viros, quales N. T. scriptores fuisse monuimus, veram religionis doctrinam ore et literis ita proposuisse, ut nihil plane alieni et inepti de suis opinionibus admisceretur. Partim enim, ut iam dixi, ob ipsum eorum ingenium fieri hoc aliter non potuit, partim vero prudens atque necessaria ad auditores et lectores accommodatio de eodem videtur persuasisse. Scilicet communis lex est et ex ipsa animi humani natura hausta, quae institutionem popularem ad auditorum opiniones, consilia, mores, instituta, consuetudines ac leges, quatenus ea sincero pietatis atque virtutis studio non omnino adversentur, accommodari praecipit. Qui inveteratam populi cogitandi agendique rationem semel et uno quasi ictu immutare atque evertere nititur, qui omnes eius vanas opiniones et perversa studia promiscue damnat, et cum impetu in ea invehitur, nae ille parum proficiet, suisque bonis conatibus maxima ipse impedimenta obiiciet; contra qui prudenter, et quantum per summam morum legem licet, novam suam doctrinam populi ingenio accommodat, nec aperte et disertis verbis omnes vanas opiniones ac inutilia instituta reiicit, sed veri videndi rectiusque sentiendi adminicula sensim et aliud quasi agendo auditoribus subministrat, ille demum consilii sui, ut rectius instituantur et emendentur auditores, obti-

nendi certus esse, et de exoptato studiorum suorum eventu confidere potest. Quae cum ita sint, quis tandem non intelligat, primos quoque religionis Christianae doctores, si certum laborum suorum fructum percipere voluerint, adminiculis etiam idoneis uti, h. e. communis illius legis, quam diximus, necessitati ita obtemperare debuisse, ut doctrinam suam auditorum et primorum lectorum rationibus, quantum liceret, accommodarent? et cui hanc ipsam ob causam non sit persuasum, magnam eorum partem, quae in N. T. libris traduntur, ad solos *illius* aetatis homines pertinuisse, et multa sacros doctores aliter scripturos fuisse, si nunc demum, in *nostrorum* hominum usum, scripta sua exarassent? quis igitur, haec perpendens, non omnia ac singula N. T. effata in communium locorum numero habenda esse, praefracte negare audeat 31)?

Videmur nobis, quod volebamus, argumentis sat gravibus *universe* demonstrasse; superest, ut exempla quaedam adiiciamus, atque ita sententiae nostrae veritatem omni ex parte compro-

31) Breviter quidem, et docte et subtiliter, ut solet, de importuna hac, communes locos et universe dicta ubique inveniendi, libidine eiusque causis disputavit REINHARDUS in Comment. *de locis quibusdam, qui in sermonibus Domini temere putantur communes;* Spec. I. Vitemb. 1780. 4. p. 8 — 10.

bemus. Iuvat autem ea N. T. effata, quae cum noſtris de vera religione notionibus parum conveniunt, quaeque adeo ut ſenſim ex inſtitutione populari excludantur, noſtra multum intereſt, *duplici* claſſe comprehendere. Alia enim ad dogmatum et decretorum in ſe certorum ac indubitatorum probationem atque illuſtrationem pertinent, alia vel ipſorum dogmatum ſpeciem referunt, vel ſimpliciter a ſacris doctoribus traduntur. *Illorum* innumera exempla et ſingulis fere N. T. paginis occurrunt. Nec hoc mirum. Etenim cum omnis religionis Chriſtianae doctrina, ut paulo ante monuimus, non eo modo, qui communem perſuadendi et obligandi vim haberet, tradi poſſet, ſed ad auditorum et primorum lectorum captum atque ingenium accommodari, iisque argumentis et adminiculis, quae tunc temporis maxime utilia et neceſſaria viderentur, commendari, firmari ac propagari deberet; quis, quaeſo, aequus arbiter Iudaica illa et a noſtro uſu aliena ſcriptorum ſacrorum argumentatione et univerſa diſputandi methodo offendatur? quis potius inſignem doctorum divinorum prudentiam et dexteritatem in hac ſua doctrinae Chriſtianae tractatione non agnoſcat et probet? Sufficiat autem brevitatis cauſa, ex ingenti teſtimoniorum numero Chriſti cum Sadducaeis de animorum immortalitate colloquium, (Luc. XX, 27—39. cl. Matth. XXII, 23—33. et Marc. XII, 18—27.) Pauli de Moſaicae legis abrogatione in epiſtola ad Galatas diſputationem,

et auctoris ad Hebraeos epistolae de victimarum cruentarum per mortem Christi abolitione, itemque de religionis Christianae prae Iudaica constitutione praestantia, argumentationem, exempli loco, hanc in rem commemorasse. *Istis* temporibus, et ad Iudaeorum, recens ad sacra Christiana conversorum, animos convincendos, eam probandi docendique rationem, quae his in locis obtinet, maxime idoneam fuisse et pulchre compositam, nemo facile ibit infitias 32); sed si nunc apud nos publicus religionis doctor iisdem argumentis eodemve ratiocinationis genere uti

32) Videantur interpretes, inprimis vero ad locum Lucae Eckermannus in *d. theolog. Beytr.* T. I. P. I. p. 104. sq. et Hammerus in Comment. nota 18. laud. p. 29. sqq. ad disputationem Pauli in epistola ad Galatas Koppius in praestantissima sua N. T. editione. Vol. VI. quod auctius et emendatius altera vice prodiit Gottingae. 1791. 8. maxime ad Cap. IV, 24. et de argumentationis atque illustrationis methodo, in epistola ad Hebraeos obvia, Heinrichs in *prolegomenis* ad epistolam Pauli ad Hebraeos, perpetua adnotatione ab ipso illustratam. Gotting. 1792. 8. p. 28—32. atque Griesbachius in Commentt. II. *de imaginibus Iudaicis, quibus auctor epistolae ad Hebraeos in describenda Messiae provincia usus est;* separatim primum Ienae ann. 1791 1792. 4. editis, nuper autem, cum essent ab auctore recognitae, in *Commentationum theologicarum a* Velthusen, Kuinoel, *et* Ruperti *editarum* Vol. II. (Lipsiae. 1795. 8.) p. 327. sqq. denuo recusis.

vellet, is profecto religioni, auditoribus sibique ipse male consulere existimandus foret. Patet igitur, quae ad probanda et illustranda religionis Christianae capita a doctoribus sacris proferantur, ea magnam partem *suae* aetati relinquenda esse, nec in publicam nostrorum hominum institutionem temere transferenda. Sed iis quoque N. T. effatis, quae vel ipsorum dogmatum speciem referunt, vel simpliciter a sacris doctoribus traduntur, multa aliena, quae ad veram religionem non pertinent, immixta videntur; eaque *alteram* supervacaneorum atque inutilium placitorum classem constituunt. Huc spectant primum varia morum vitaeque praecepta, a communi omnium hominum ac temporum usu aliena 33); v. c. de divitiarum contemtu et voluntariae paupertatis necessitate, de bonorum terrenorum omniumque corporis voluptatum et oblectamentorum despici-

33) Ex instituto et cum cura hanc materiam separatim pertractarunt: Nitzschius in Commentt. *de iudicandis morum praeceptis in N. T. a communi omnium hominum ac temporum usu alienis*; quae inde ab anno 1791. 4. statis temporibus Vitembergae prodierunt, et adhuc continuantur; et Sintenis in libro nota 15. citato, ad quem cf. *Tübing. Gelehrte Anzeigen.* a. 1795. no. 14. ubi nonnulla bene, plura non satis commode, ut videtur, contra monentur. Adde Ammonii *Christl. Sittenlehre nach einem wissenschaftlichen Grundrisse.* Erlang. 1795. 8. §. 5. p. 8. sq. et §. 77. p. 85.

entia, de votis et ieiuniis, de abſtinentia a matrimonio, de eſu ſuffocati et ſanguinis, de luctationum cum Satanae et pravarum cupiditatum tentationibus perpetuitate, caetera; porro huc pertinent multae narrationes hiſtoricae, v. c. de daemoniacis, de tentatione et glorificatione (ſit venia verbo theologico!) Chriſti in monte, de luſtratione Mariae in templo et ſacrificii pro recens nato puero oblatione, de familiarum recenſionibus ſeu genealogiis, de viſionibus et angelorum ſpeciebus apparentibus, de ingenti miraculorum patratorum numero 34), et quae ſunt huius generis alia; de-

34) Non ita haec intelligi volo, ac ſi miracula Chriſti et Apoſtolorum aetate omnino nulla accidiſſe contendam. Ab hac temeritate longiſſime abſum. Hoc tantum ſignificare volui, noſtros homines a miraculorum illorum lectione et contemplatione magis avocandos eſſe, quam ad eam incitandos, *partim* quia parum faciant ad moralem animorum emendationem, quae mentis noſtrae acies capere et aſſequi non valet, *partim* quod crebra portentorum et miraculorum conſideratione imperitos animos ad multas fanaticas ipſique religioni et virtuti perniicioſiſſimas opiniones facile adduci conſtet, *partim* denique, quoniam omnis miraculorum vis probandi ad ſolos ſpectatores pertinuerit et pertinere debuerit; quam in rem cf. Telleri *Excurſ. III. ad* Burneti *de fide et officiis Chriſtianorum librum.* p. 282. ſqq. et Ziegleri Comment. nota 24. laud.

nique ex theoreticis etiam doctorum sacrorum praeceptis nonnulla ad hanc classem referenda erunt, v. c. de angelorum ordinibus et ministerio 35), de vi Satanae in homines 36), de Messia eiusque regno 37), de instante eoque visibili

35) Vid. *Anonymi* Comment. *Kritik über die Lehre von den Engeln in der Dogmatik*; in Henkii Magazin. T. III. p. 300. sqq.

36) Conf. Eckermanni *Compend. theologiae Christ. theoret.* Part. pr. §. 44—49. p. 88. sqq. et Henkii *Lineamenta instit. fidei Christ.* §. 93. p. 110. sqq. Omnis Daemonologia Iudaica et Christiana post Babylonici demum exilii tempora definita est et magis exculta. Cf. *Beyträge z. Beförder. des vernünftig. Denkens in d. Religion.* Partic. II. p. 87. sqq. Antiquiores Iudaeorum libri sacri aliter de angelis bonis malisve praecipiunt; quae est scita Kuinoelii Observatio ad Matth. XVII, 10. in *Observatt. ad N. T. ex libris Apocryphis V. T.* Lips. 1794. 8. p. 25.

37) De vera officii et regni Messiani notione, ex N. T. libris, et inprimis ex sermonibus Christi constituenda, itemque de usu huius dogmatis hodierno, mirum quantum dissentiunt Viri docti. Meam qualemcunque de hoc momento sententiam, cum brevi aliarum explicationum recensione, nuper exposui in Comment. vernac: *Ueber die Aeusserungen Jesu von dem Reiche des Messias, zu Matth. 19, 27—30.* in Henkii Magazin. T. II. p. 359. sqq. cui nuperrime haec accessit appendicula: *Ueber die Unterscheidung einer doppel-*

Chriſti in has terras reditu 38), de reviviſcentibus et in venuſtiorem formam componendis hominum corporibus 39), de gaudiis beatorum in coelo et poenis damnatorum in Orco 40), de

ten Wiederkunft Chriſti. T. IV. p. 175. ſqq. Non habere exiſtimo, quod commentationis huius me auctorem publice nunc profiteri dubitem.

38) Apoſtolos non ſolum ipſos vulgaribus populi ſui opinionibus de regno Meſſiano his in terris poſt inſignem mundi renovationem condendo, et de inſtante eaque viſibili Chriſti ad hoc regnum ſolemniter inaugurandum reditu, imbutos fuiſſe, ſed easdem etiam ſcriptis ſuis propagaſſe, evidenter et ita quidem, ut nullus facile contradicendi locus relinqueretur, docuit *venerandus* Eckermann in *d. theolog. Beytr.* T. II. P. I. p. 180. ſqq. Conferri etiam poteſt Ammon, (*N. theolog. Journ.* Vol. III. p. 185. 198.) Herder, (*Von der Auferſtehung. als Glaube, Geſchichte u. Lehre.* Rigae 1794. 8. p. 114. ſqq.) Loeffler l. nota 30. l. p. 36.

39) Pertinet hoc dogma ad ipſam de Meſſia eiusque regno doctrinam, adeoque eodem modo de hoc, atque de illa, iudicandum erit. Cf. Hammeri diſput. bis iam laud. et Fluegge *Geſchichte des Glaubens an Unſterblichkeit, Auferſtehung, Gericht und Vergeltung.* Vol. I. (Lipſiae 1794. 8.) p. 252. ſqq.

40) Diverſam piorum atque impiorum poſt fata ſortem a me non negari, per ſe intelligitur: num

Chriſto pro hominibus apud Patrem deprecante 41), et alia, quae non noſtrum eſt longius

vero vulgares N. T. dictiones, totae illae ad Iudaeorum ingenium et communem loquendi uſum compoſitae, rem ſatis apte et definite deſcribant, haec longe alia quaeſtio eſt, quam equidem ſimpliciter non affirmaverim. Caeterum non conſentiunt interpretes, utrum proprie, an tropice, has dictiones intelligi voluerint ſacri auctores. Vid. Frisch *Vergleichung der Ideen über Auferſtehung, Gericht und Unſterblichkeit in den Apocryphen des A. T. u. den Schriften des N. T.;* in Eichhornii *Biblioth. d. Bibl. Liter.* T. IV. P. IV. p. 653. ſqq. Hoc tamen certum eſſe videtur, Chriſti et Apoſtolorum populares admodum humiliter et indigne de futura hominum ſive piorum ſive impiorum poſt mortem conditione ſtatuiſſe.

41) Refert haec formula, ſi quae alia, ingenium Iudaicum, (cf. 2 Maccab. XV, 12. 14. et *Ioſephi* Antiquitt. Iud. I, 14.) et humilior eſt, quam quae cum ſanioribus de deo et de meritis Chriſti circa genus humanum notionibus conveniat. Hinc ſine dubio factum eſt, ut recentiores quidam Theologi ad puriorem ſenſum eam revocare ſtuderent, ita quidem, ut nihil aliud ſignificari defenderent, quam hoc: *Chriſtum ad ſummam dignitatem evectum adhuc eſſe et manere cauſam ſalutis noſtrae atque auctorem.* Vid. b. Morum in *diſſertatt. theolog. et philol.* Vol. I. (Lipſiae 1787. 8.) p. 298. ſqq. Num vero uſus loquendi et hiſtoricae interpretationis leges hunc puriorem ſenſum admittant, de eo equidem vehementer dubito.

nunc recenſere. Sufficiunt enim conſilio noſtro ea, quae attulimus, exempla, et videmur nobis, quod volebamus, ſcilicet non omnia ac ſingula N. T. effata ad communem verae religionis diſciplinam pertinere, ſatis iam demonſtraſſe. Neque etiam quemquam facile fore exiſtimamus, qui ſententiae noſtrae, in univerſum ſpectatae, veritatem in dubium vocare velit aut poſſit 42), ſi

42) Videtur quidem ECKERMANN aliter ſentire. Nam ſtatuit, (*theolog. Betr.* Vol. IV. P. I. p. 249. ſqq.) Scripturam S. omnino nihil continere, quod vanum ſit et inutile, nec verae religionis exercitationem et moralem hominum emendationem atque virtutem iuvare poſſit. Sed haec non ſimpliciter et, ut verba proprie ſonant, intelligi vult acutiſſimus Auctor. Ipſe enim ſtatim addit: (p. 250.) *Aber wir achten billig auf das, was Gott durch die heiligen Schriftſteller* l e h r e n *wollte, und unterſcheiden dieſes von den Zeitbegriffen, den darnach gebildeten Sätzen, und den Redensarten und Bildern, in welche ſie die Wahrheit, die ſie lehren ſollen, nach ihrem individuellen Ideenzuſtande, und nach dem Bedürfniſſe und der Fähigkeit ihrer Zeitgenoſſen einkleideten*: et pagina ſequenti. *Wir erforſchen den eigentlichen buchſtäblichen Sinn eines jeden Satzes der Bibel; aber wir erwarten nicht in einem jeden eine Belehrung für* u n s, *ſondern zunächſt eine Belehrung für die erſten Leſer, ihren Einſichten, ihrem Faſſungsvermögen angemeſſen:* hisque verbis clare ſignificat, ſe tantum de divina librorum S. *doctrina*, ab omnibus hominum additamentis et aliarum rerum involucris purgata,

vel ſingula argumenta et exempla non omnibus eodem modo probentur. Caeterum licet omnes ac ſingulas N. T. partes ad univerſalem religionem referre dubitemus, neutiquam tamen ipſam horum librorum fidem et divinam auctoritatem eo impugnari, per ſe intelligitur. 43) Continent enim haec ſcripta, ex noſtra quoque perſuaſione, doctrinam vere divinam, quae non ſine peculiari ſummi Numinis efficientia et procuratione illo quidem tempore tradi potuit, et quae praeterea inſunt, a conſilio et natura verae religionis et a noſtrorum hominum uſu aliena, ea ipſa maximam partem ad introducendam et popularibus commendandam novam doctrinam neceſſario requirebantur. Manet igitur ſuum ſacro Codici pretium, manet ſua auctoritas.

loqui; atque *hoc* ſenſu omnino verum eſt, quod dicit. Contra ſi de omni Scripturae argumento et de ſingulis dictis quaeritur, non poteſt negari, multa ineſſe, quae non pertineant ad communem religionis diſciplinam, quippe vanis aetatis ſuae opinionibus ſuperſtructa. Cf. DOEDERLEINII *Inſtitut. Theologi Chriſt.* Part. pr. §. 34. 35. p. 109. ſqq. ed. 5. NOESSELTI *Bildung angehender Theologen.* T. II. §. 41—46. p. 55. ſqq. et §. 145. 146. p. 203. ſqq. ed. 2.

43) Quae ſit illa auctoritas et quo nitatur fundamento, accurate definivit HAENLEIN in *ſ. Handbuch der Einleitung in die Schriften des N. T.* Vol. I. (Erlang. 1794. 8.) Cap. IV. §. 4. 5. p. 264. ſqq.

Iam redeamus ad *Kantium* nostrum, ipsamque eius de libris sacris accommodate ad seculi nostri rationes tractandis legem diligenter et sine omni partium studio examinemus ac diiudicemus. Adhuc enim non nisi de fundamentis Kantianae interpretationis locuti sumus, et hactenus inter utrumque nostrum convenit, quod vera religio cogitari non possit, nisi quae sanae rationis et summae morum legis iudicio probetur, quod, hanc veram religionem commendare atque propagare, primum esse debeat publici doctoris officium, quod ad introducendam et iuvandam veram religionem, cum primum homines in certam ecclesiae formam coierint, sacri cuiusdam Codicis adminiculo opus sit, et quod hanc in rem non nunc demum novus Codex componi, sed ille antiquus, qui plerumque iam adesse soleat in ecclesia, et cuius a longissimis inde temporibus summa semper fuerit auctoritas, in posterum quoque, tanquam communis publicae institutionis norma, retineri et ad hunc usum accommodari debeat. De his igitur omnino convenimus. Et cum deinde illud quoque *Kantius* monuisset, non posse non istis antiquitatis monumentis, quamvis sacra sint et habeantur, multa vana atque inutilia decreta ab ingenio aetatis et auctorum impressa esse, quae moralem hominum emendationem virtutisque studium vel non iuvent, vel adeo impediant, quaeque hanc ipsam ob causam ad religionis exercitationem nihil conducant, visum nobis est quae-

rere, utrum de libris, quos Christiani sacros habent, quosque nunc potissimum curamus, idem quoque valeat, nec ne? et sane hactenus, quod bona malis, communia atque universalia localibus et temporariis, vera denique falsis mixta sint, similem, quamvis non omnino eandem, his scriptis cum aliis antiquitatis operibus intercedere sortem, adeoque verum esse, quod sumserat *Kantius*, accuratius in universum illorum librorum argumentum inquirendo apparuit. Sic tandem solutis atque expeditis, quae prima omnium erant solvenda et expedienda, haec nostra disputatio ad ipsam causae arcem propius nunc accessit. Ea videlicet quaestio iam nobis sese offert, *quomodo* libri sacri, salva caeteroquin eorum auctoritate, ita tractari possint, ut a vanis illis opinionibus et temporariis decretis, quae insint, ecclesiae Christianae cives sensim avocentur, et non nisi certa atque communia religionis praecepta edoceantur, utque adeo unicum verae religionis consilium, quod ad emendandos et tranquillandos hominum animos pertineat, istorum librorum instrumento recte iuvetur et vero etiam obtineatur? Gravissimam hanc esse quaestionem neque adeo facilem ad solvendum, intelligentes harum rerum arbitri sponte iudicabunt. Hinc profecto optandum erat, ut vir tam subtilis iudicii tantique acuminis philosophus, qualis Kantius recte celebratur, quaestionis illius rite solvendae curam in se susciperet; et quamvis ipsius praecepta non eo-

dem modo singulis reipublicae literatae civibus ac statoribus probari, omniumque plausum ferre po-terant; gratias tamen varias ob causas huic im-mortali viro pro indefesso suo bene de religione et ecclesia merendi studio agere, neque linguarum, Orientalium maxime, inscitiam exprobrare, omnemque hanc rem decernendi facultatem ab-iudicare, homines doctos oportuit. Namque nunc non de singulis librorum S. verbis loquendi-que formulis, ad grammaticas regulas rite inter-pretandis, quaerebatur, sed omnis disquisitio ad longe aliud quidquam pertinebat, nimirum ad constituendam universalem quandam legem, quae certam nostrisque temporibus accommodatam Co-dicis sacri in ecclesia tractandi rationem rectumve usum exacte definiret. Quis vero non videat, idoneum de hoc momento iudicium pendere non tam ab accurata multarum linguarum scientia, quam a subtili verae religionis, humani animi et sensuum, nostris aequalibus propriorum, perspi-cientia? Quis igitur summo philosopho et acutis-simo humanae naturae investigatori ius suffragii in hac causa denegare audeat? Sed haec non tanti res est, ut plura verba adiiciamus, modo illud pateat, quantopere saepius ineptiant viri alias in-telligentissimi, si semel a praeconcepta quadam opinione circumveniri et nimio disputandi fervore abripi se patiantur. Omissa igitur omni de iure decernendi quaestione, quae in medium protulit *Kantius*, grata mente accipiamus, iisque recte

utamur; quod quidem nunc ita a nobis fiet, ut obſervationes quasdam, a ſincerrimo veritatis amore dictatas, praeceptis Kantianis adiungamus.

Quodnam KANTIUS de propoſita quaeſtione tulerit iudicium, et qualem librorum ſacrorum uſum noſtrorum hominum rationibus optime convenire ſtatuat, hoc ſupra (p. 17. ſqq.) fuſius explicavimus. Liceat nunc ſummam rei paucis verbis repetere. Suadet nimirum Vir illuſtris *moralem* ſive *practicam* ſacri Codicis interpretationem, eamque ita iuſtitui praecipit, *ut ſcriptorum divinorum verbis omnino tribuatur ſenſus, qui cum certis rationis noſtrae de vera religione notionibus optime conſpiret, atque ad moralem hominum emendationem virtutemque iuvandam apprime faciat, ſi vel ille ſenſus non videatur ex orationis ingenio et contextu proprie exiſtere, dummodo ulla aliqua ratione ex auctorum ſacrorum dictionibus elici aut certe adnecti iis poſſit.* Haec ille non ſine acumine et cum ſingulari quodam veritatis colore iudicavit. Etenim ſi, quod dedit *Kantius*, reſponſum cum ipſa quaeſtione propoſita contuleris, prima quidem ſpecie omnia optime et ita congruere tibi videbuntur, ut, quid melius et ad rem aptius ſuadeas, vix ſuccurrat 44). Aut

44) Hinc non inepte *Kantianae* librorum S. tractationi ea laus tributa eſt, ut certe logica quadam et naturali conſecutione cum iis, quae antea

enim, inquies, vera religio et moralis hominum emendatio Codicis cuiusdam ſacri adminiculo omnino iuvari nequit; aut certe Kantianae illi rationi, quae ſingula ſcriptorum divinorum effata ad puriorem ſenſum revocari iubet, et omnia aliena praecepta excludit, vera ea laus debetur, ut ad ſpem eventus reſpondeat. Habent ea, fateor, multam veri ſpeciem, neque etiam negari poteſt, quae paſſim Viri docti contra diſputarunt, ea magnam partem omnino vana eſſe atque irrita, ut ſupra (p. 23. ſqq.) ipſe oſtendere conatus ſum; nihilo tamen ſecius remanere adhuc videntur difficultates quaedam, quae me quoque impediunt, quo minus Kantianam illam librorum S. tractationem ipſe probare aliisque commendare queam. Iuvat igitur, quae circa hanc rem moneri poſſe videantur, ſingulatim nunc exponere; et ad quasdam obſervationes revocare, quarum quidem haec erit ratio, ut primum quid *univerſe* in Kantianis praeceptis deſiderem, notetur, deinde vero, cur admitti ea probarique nolim, *ſpeciatim* doceatur. Num omnia, quae dicturus ſum, recte ſe habeant et digna ſint attentione, de eo arbitri me intelligentiores iudicent.

Cogitanti mihi de Kantiana interpretationis ſacrarum literarum lege *in univerſum* hoc maxime

ſumta fuerint, cohaerere videretur, Cf. *Götting. Biblioth. d. neueſten theolog. Literat.* T. I. P. III. p. 197.

displicebat, quod modus, quo exerceri ea lex possit ac debeat, nusquam satis accurate descriptus sit atque definitus; quodque adeo ab uniuscuiusvis interpretis arbitrio plus, quam oportuit, pendeat 45). Videamus de hoc momento. Summa interpretationis lex, ex *Kantii* mente, haec erat, ut scriptorum divinorum verbis, ubicunque fieri posset, sensus moralis tribueretur. Iam primum quaeritur, ubinam loci hoc recte fieri possit? respondet *Kantius*: ubi verba permittunt. Bene quidem, sed non sufficiunt haec. Rursus enim nova oritur quaestio: unde videlicet iudicari possit, num moralem sensum verba admittant, nec ne? Ad hanc vero quaestionem nulla datur in libello Kantiano responsio. Dicas fortassis: non opus illa erat; namque per se intelligitur, hoc, quod quaerebatur, semper iudicandum esse ex propria atque genuina ipsorum verborum significatione. Ita quidem videtur; sed hanc non esse veram *Kantii* mentem, inde luculenter apparet, quod licere ille ait, scriptorum sacrorum verbis vim inferre et sensum puriorem vel invito orationis contextu substituere. Vides igitur, accuratam quandam definitionem hic desiderari, omnemque hanc rem a solo interpretis arbitrio pendere. Quaeritur porro: *qualis* sensus moralis singulis sacri Codicis locis tribui debeat? re-

45) Cf. *Einige Bemerkungen über Kants philosophische Religionslehre.* p. 136, sqq.

ſpondet *Kantius*: qui in ſe ac ſine omni probatione hiſtorica verus ſit, ſimulque ita ſe habeat, ut ille ipſe, quem tractamus, locus non niſi hoc admiſſo ſenſu ad moralem emendationem quidquam conducat. Iam vero ſimilis hic exiſtit interrogatio, ac paulo ante propoſuimus: nimirum, unde tandem iudicari poſſit, num certus quidam ſenſus moralis huic vel illi Scripturae S. loco ita conveniat, ut unus ille ſolus recipi debeat et commendari? Cum liceat interpreti verba detorquere, nonne plures cogitari poſſunt ſenſus, qui pari modo ad iuvandam animorum emendationem ſpectent? et qua tandem ratione unius prae altero praeſtantiam vis metiri? *Kantius* certe nihil definivit, et manet hoc quoque uniuscuiusvis interpretis arbitrio permiſſum. Sic igitur ſatis iam apparere exiſtimo, quam *minus accurate* omnis *Kantii* de libris ſacris interpretandis praeceptio deſcripta ſit, neque pluribus hanc in rem argumentis opus eſſe videtur. Interim unum adhuc ſubiungam documentum, quo melius de monitorum meorum veritate conſtet. Dicit nimirum *Kantius*, nolle ſe puriorem illum ſenſum, qui ſacris dictis tribuatur, ipſorum auctorum menti falſo obtrudi, quod quidem per bonam interpretis fidem non liceat, eſſe potius omnem hanc de vera et propria ſcriptorum divinorum ſententia quaeſtionem in medio relinquendam, dummodo hoc doceatur et demonſtretur, *poſſe* verba hunc in modum explicari. Iam vero nemo facile intel-

ligèt, quomodo illud τὸ *posse* iis in locis, quibus proprie alius sensus inest, quam qui ex Kantianis praeceptis eruitur, recte declarari queat; et oportebat *Kantium*, si ullo alio, hoc certe loco exactiorem quandam legi suae definitionem adiicere. Quod cum factum non sit, nobis etiam, quod de hac iustae accurationis inopia conquesti sumus, venia dabitur.

Alterum, quod in Kantiana Codicis S. tractatione, *universe* spectata, mihi displicuit, est ipsum nomen, quo eam insigniri voluerunt. Usi scilicet sunt moralis sive practicae *interpretationis* titulo, satis illo quidem specioso, sed minus commodo 46). Etenim si scriptorem, cuius is cunque sit aetatis et generis, *interpretari* nihil aliud est, quam docere et declarare, quid ipse quovis loco cogitaverit senseritve, et quomodo orationem suam ab auditoribus et lectoribus intelligi voluerit, hoc vero non nisi grammatice et historice investigari potest; sequitur, qui ad *Kantii* et exemplum et praecepta, Codicem S. ita tractat, ut veram atque genuinam auctorum sententiam non ita multum curet, et orationis sensum aliunde, quam

46) Idem iam ab aliis repetita vice, neque tamen semper eodem plane modo et consilio monitum est. Vid. Rosenmülleri *Bemerkungen etc.* p. 111. sqq. Beckii disput. nota 18. laud. p. 15. sq. et *Auctoris anonymi* l. nota superiore l. p. 128. sq.

ex propria verborum vi ac potestate metiatur, eum neque ipsum *interpretis*, neque hanc suam librorum divinorum tractationem *interpretationis* nomine recte insigniri posse. Quemadmodum vero *Kantium* eiusque amicos veram interpretationis notionem ignorasse, sumi non potest, hancque ipsam ob causam haud facile intelligitur, qua tandem ratione fieri potuerit, ut Kantianae Codicis S. tractationi practicae interpretationis nomen tribueretur; ita factum hoc esse eo magis mirari subit, cum Kantius ipse, ut supra monui, disertis verbis significaverit, nolle se suam libros S. tractandi rationem pro vera et propria *interpretatione* haberi, hocque unum fuisse sibi propositum, ut certam quandam et bene fundatam S. S. effata ad *moralem usum* revocandi legem constitueret. Caeterum haec ipsa denominatio in causa fuisse videtur, ut tam crebris tamque iniustis saepe et vanis criminationibus, v. c. de instaurando allegoriarum studio et de inevitabili verae eruditionis contemtu, omnis *Kantii* praeceptio peteretur. Quicunque enim, quid sit *interpretari*, didicerat, ille facile iudicabat, Kantianae librorum S. tractationi hoc nomen nullo modo competere; cumque nihilominus titulus ille *Kantio* eiusque amicis placuisset, fieri aliter vix potuit, quam ut id indignati viri docti graviter nec sine acerbitate quadam obloquerentur, utque adeo eum ipsum, qui de interpretatione proprie sic dicta omnino nihil praeceperat, allegoricae mysticaeve inter-

pretationis instauratorem habere et nuncupare nulli dubitarent. Rarum quidem erroris et praeposteri iudicii exemplum; sed patuit tamen ex hoc quoque eventu, quam multum saepe a rerum nominibus pendeat, et quantopere peccent, qui vel decantati illius: *in verbis simus faciles*: patrocinio abutentes, vel quacunque alia de causa a communi loquendi usu temere et paulo inconsultius recedant.

Haec erant quae in Kantianis decretis, *universe* spectatis, mihi displicerent. Cum vero his ipsis monitis, utut verissima sint, parum aut nihil omnino contra novam illam Scripturae tractationem effici facile intelligo, necesse erit, ut, cur admitti eam probarique nolim, *singulatim* nunc exponam. Quo vero minus Celeb. *Kantii* praeceptis adsentire queam, illud maxime obstat, quod talis librorum S. tractatio, qualem ille postulat, ex meo quidem iudicio, cum sacrosancto veritatis atque integritatis officio et cum bona publici doctoris fide nullo modo conciliari, neque adeo coram summo rationis practicae tribunali recte defendi possit. Namque si scriptorum divinorum effata ab eo nominatim, qui, veritatis doctor et Codicis S. interpres publice constitutus est, et coram iis nominatim qui, veram atque genuinam singulorum dictorum sententiam eruendi et constituendi facultate ipsi destituti, hanc magistro suo provinciam imperarunt, hancque fidem habent,

habent, ut demandato ipsi interpretis munere religiose et ex optima fide fungatur, si, inquam, hac rerum conditione posita, scriptorum divinorum effata consulto ad alium sensum, quam qui proprie verbis inest, revocantur, recte hoc dolum malum et fraudem illicitam dixeris 47), quam neque accommodationis ad vulgi captum et opiniones necessitas 48), neque exemplorum, ab antiquioribus et recentioribus populi doctoribus

47) Cf. *Briefe über d. Perfectib. d. geoffenb. Relig.* p. 257. et *Allg. L. Z.* a. 1795. no. 78. p. 624. Adde, quae monuit AMMON *im N. theolog. Journ.* T. III. p. 498. T. IV. p. 44.

48) Errores in vulgo receptos atque inveteratos aliquamdiu tolerare, iisque adeo meliorem institutionem superstruere, hoc quidem licitum est et interdum etiam necesse; vid. omnino REINHARDI *System der Christl. Moral.* Vol. II. §. 259. p. 225. sqq. ed. 1. sive p. 243. sqq. ed. 2. et cf. Io. IAC. HOTTINGERI Oratio *de caute oppugnandis opinionibus vulgi religiosis.* Turici. 1794. 8. sed longe alia res est, hominum inscitia ita abuti, ut, dum interpretem audire opinentur, audiant philosophantem et ex *suo* sensu Codicis S. dicta tractantem Theologum, et ubi propriam atque genuinam scriptorum divinorum sententiam exponi putent, alius, quamvis purior et verior, sensus tacite substituatur; quod quidem per summam rationis practicae legem nullo modo licebit,

repetitorum, auctoritas 49), neque etiam consilii sic demum obtinendi bonitas et laudabile virtutis veraeque religionis iuvandae studium 50) satis excusabit. Videtur *Kantius* ipse has difficultates sensisse, cum iam in antecessum expedire eas atque removere studuerit, modo tamen parum idoneo nec satisfaciente. Dicit nempe (p. 161. ed. 2.):

49) Provocat nimirum *Kantius* ad exempla aliorum popularium doctorum ex variis gentibus. Partim vero ea ipsa, quae attulit, exempla non omnino quadrant, partim de his quoque valet, quod in universum in exempla cadit: *illustrant, non probant.*

50) Pravis enim et illicitis ad rem perficiendam adminiculis uti, nullo non tempore et loco prohibitum est, nec potest causae ipsius, quam persequimur, bonitas interdicti huius vim infringere, ut omnes, qui communium, ex rationis practicae fonte derivatarum, legum auctoritatem reverentur, facile concedent. Aliter tamen tantum non omnibus antiquioris ecclesiae patribus visum est; vid. Ribovii Progr. *de oeconomia Patrum et methodo disputandi κατ᾽ οἰκονομίαν.* Gotting. 1748. 4. coll. Mag. F. Aug. Carus differt. *historia antiquior sententiarum ecclesiae graecae de accommodatione Christo inprimis et Apostolis tributa.* Lips. 1793. 4. p. 31—34. et Viris doctis (si fas est doctos eos dicere), qui ex famosa societate Iesu superfunt, etiamnum videtur: quam in rem cf. *Berlinische Monatsschrift.* October. 1794. p. 292. sqq.

„fraudis nomen in moralem Codicis S. tractatio-
„nem non recte cadere, modo ne ſenſum ilium
„puriorem, qui ſingulis eius dictis tribuatur, do-
„ctorum divinorum menti, dum ſcriberent; vere
„obverſatum fuiſſe falſo affirmemus, ſed omnem
„hanc rem integram relinquamus, hocque unum
„ſumamus ac demonſtremus, *poſſe* verba eum
„ipſum, qui placuerit, in modum explicari.“
Non nego, hanc difficultates ſolvendi methodum ingenioſe a *Kantio* excogitatam eſſe, et multam prae ſe ferre ſpeciem; habeo tamen, cur me nondum poeniteat, parum idoneam nec ſatisfacientem eam dixiſſe. Qui enim in tractando Codice S., cuius interpretem ſe profitetur, ita verſatur, ut proprium verborum ſenſum prudens et ſciens negligat, alium, de quo ſcriptorem non cogitaſſe, ipſe ſibi perſuaſum habet, ſubſtituat et commendet, atque adeo, poſſe verba hunc in modum explicari, ulla aliqua arte demonſtrare ſtudeat, eum imperitae auditorum et lectorum multitudini imponere, et fraudis cuiusdam (quam ſive piam ſive impiam dixeris, nihil intereſt,) reum fieri, ſi vel maxime ſuam, quam tradit et commendat, ſententiam auctori ipſi, in quo explicando et illuſtrando occupatur, non aperte et diſertis verbis obtrudat, idonei harum rerum arbitri facile, et quo quisque eſt incorruptior ac minus cupidus cauſae diſceptator, eo certius iudicabunt. Namque cives eccleſiae, ad quos haec inſtitutio pertinet, *interpretis* munus magiſtro ſuo iniunxerunt,

hincque veram ſcriptorum ſacrorum ſententiam bona fide ab eo exponi putant, nec ſcire poſſunt, alium verbis tribui ſenſum, quam qui proprie inſit, niſi hac de re nominatim moneantur. Quam diu igitur publicus religionis doctor, qui has alumnorum ſuorum rationes atque exſpectationes non poteſt non cognitas habere et perſpectas, in tractando Codice S. certum ac genuinum verborum ſenſum conſulto negligit, et quemcunque alium, qui purior ſit et verior, tacite ſubſtituit, neque aperte ſignificat, ſe non, quid verba proprie ſibi velint, ſed, qualem admittant uſum moralem, quaerere et curare; tam diu auditoribus et lectoribus imponere et fraudis reus fieri, ex meo quidem iudicio, cenſendus erit. Si vero, ut hanc fraudis ſuſpicionem a ſe ſuisque ſtudiis removeat, quotiescumque interpres eſſe deſinit et de Scripturae effatis quoquo modo philoſophatur, id ingenue indicare velit ac profiteri, vehementer equidem vereor, ne ſic omnes ſtudiorum ſuorum fructus ipſe ſibi praecidat. „Quid enim," inquient homines illi, quorum uſibus ſuam Codicis S. tractationem *Kantius* maxime videtur deſtinaſſe, „quid ad nos haec tua diſputatio? Si ſcriptores divinos de praeceptis atque placitis tuis, quae in medium profers, vere cogitaſſe, probari nequit, quo tandem iure a nobis poſtulabis, ut fidem dictis tuis habeamus, vitamque noſtram ad ea componamus?" Satis igitur apparere exiſtimo, quam legi ſuae hermenevticae circumſcriptionem

Kantius adiecit, eam ſolvendis atque expediendis difficultatibus, quas illa, ſi ad ſummas recti et iuſti ac liciti notiones exigatur, utique habet, nequaquam parem eſſe atque idoneam. Quocunque enim modo *Kantii* verba intellexeris, hoc ſemper inde ſequetur, ut, qui iſtis praeceptis convenienter Codicem S. tractet, is non poſſit non vel fraudis cuiusdam reus fieri, vel laborum ſuorum ſpe et conſilio ſuo, ad moralem hominum emendationem ſpectante, ſua ipſius culpa omnino excidere. Tertium quoddam cogitari nequit.

„At enim vero, quamvis tibi facile, inquis, „concedo, recte eum fraudis cuiusdam inſimulari „poſſe, qui *Kantianam* interpretandi rationem, „qua omnia ſcriptorum effata ad moralem ſenſum „revocantur, ad ullum aliud antiquitatis opus „transferre velit, longe tamen aliter in Sacris „Chriſtianorum libris res ſe habet. Hos enim „conſtat non ſine peculiari Numinis efficientia et „procuratione ſcriptos eſſe, hancque ipſam ob „cauſam ſingula eorum effata pro divinis monitis „habenda erunt, quorum verior et plenior ſenſus „ſcriptoribus ipſis, qui primum ea propoſuerunt, „maximam partem obſcurus et incomprehenſus „fuit. Quamquam igitur de morali illo ſenſu, „quem ſingulis Scripturae dictis tribui debere iu„dicamus, ſcriptores ipſos vere cogitaſſe probari „omnino nequit, nihil tamen obſtat, quo minus „in ſententia noſtra perſtemus, et Codicis verba,

„dummodo ulla aliqua ratione fieri hoc possit, ad „eum sensum revocari iubeamus; neque etiam „ullam fraudis suspicionem in haec nostra studia „recte cadere existimamus. Nam *sacri* sunt, „quos tractamus, libri, et in hoc ipso, quod „verba puriorem sensum admittunt, quam qui ex „consuetis naturae legibus scribentium menti ob„versari potuit, certissimum inest indicium, pro„videntiam divinam singulari quodam modo in „conscribendis his libris fuisse occupatam 51).“ Audio; sed idem ego vehementer quoque miror, a critico philosopho aliquid tale potuisse proficisci, et vix persuadere mihi possum, Auctorem ipsum non intellexisse, quantopere hac sua disputatione omnia turbentur et summa imis misceantur. Concludit Auctor hunc in modum: sacri sunt publici nostri de religione libri nec sine singulari Numinis efficientia atque procuratione conscripti; ergo habent et habere debent sensum moralem, si vel scriptores de hoc sensu non cogitarint. At vero *primum* quis non videat, omnem hanc ratiocinationem eo laborare vitio, quod petitionem principii vel ὕστερον πρότερον dicunt Dialectici? Sumuntur, quae demonstrari, et colliguntur, quae sumtionem praecedere atque firmare debebant. Scilicet

51) Est haec non a *Kantio*, sed ab alio Viro docto, de cuius nomine non constat, profecta observatio, quae legitur *im N. theolog. Journ.* T. III. p. 470. sqq. et p. 483. sqq.

sacrum esse hunc vel illum librum et a Deo profectum, sumi non potest ac debet, nisi antea de eius argumento constet, ut nimirum intelligatur, utrum cum certis rationis nostrae notionibus conveniant et vera sint atque Deo digna, quae praecipiantur, nec ne. Quidquid enim in publicis de religione literis per se non habet moralem sensum, neque rationis iudicio probatur, hoc nec sacrum esse, nec a divina revelatione derivari potest, nisi omnia, quaecunque unquam vulgaris hominum opinio sacra coluit, inconsulte ac temere ad Deum, tanquam auctorem, referre velis. *Deinde* plane non apparet, quo iure et quibus de caussis inspirationis notio eo usque extendi possit ac dilatari, ut vel scriptores ipsi verborum suorum vim non omnino assecuti esse dicantur. Non enim solum nullum unquam idoneum pro commenti huius veritate argumentum neque ab aliis antiquioribus eius patronis neque ab Auctore nostro prolatum est; sed multa etiam in contrariam partem rectius disputari possunt. Nempe si scriptores Sacri, quid sibi vellent dictata Sancti Spiritus, qui per eos locutus sit, et cuius ipsi amanuenses fuerint, saepe nescierunt, multo minus tirones Christiani, utpote primi lectores, ad quos illorum institutio proxime pertinebat, verum verborum sensum, ex divini Spiritus mente ac voluntate, omnino percepisse censendi erunt; e contrario fieri aliter vix potuit, quam ut, communem loquendi usum secuti, multa male intelligerent,

utque adeo Codex Sacer, puriori religionis institutioni iuvandae et propagandae destinatus, uberrimus errorum fons iis existeret. Quorsum vero haec talia a Deo revelata putemus, quae illo quidem tempore nemo intellexerit nec potuerit intelligere? Nonne sic Deus homines ludificatus esse et recta in errorem induxisse sumitur? quod tu dignum putas divina sapientia? Credat Iudaeus Apella, non ego!

In promtu igitur est, difficultates illas, quibus moralem Scripturae tractationem, si de bona interpretis fide quaeratur, premi paulo antea monuimus, neque *Kantium* ipsum neque eius amicum satis expedivisse, statque adeo sententia nostra, qua fraudis reum iudicamus, quicunque in explicando Codice S. alium, quam qui proprie verbis insit, sensum sciens substituat, nec aperte hoc significet. Atque ita dissensionis meae cum *Illustri* KANTIO causam satis opinor declarasse, et possem sane in his, quae hactenus disputata sunt, acquiescere. Cum enim evictum sit atque demonstratum, per bonam interpretis fidem non licere, moralem sensum Codicis S. dictis tribuere, nisi scriptores ipsi de eo cogitaverint; quid pluribus opus est ad infringenda *Kantiana* praecepta argumentis? et quis ea commendet, quae summa lex moralis fieri vetat? Interim quo melius constet, non temere me a decretis summi philosophi discessisse, alia adhuc paucula subiungam.

Alteram igitur caufam, cur *Kantianam* Scripturae tractationem admitti probarique nolim, hanc affero, quod illa non modo ad affequendum id, cuius caufa commendata fuerit, non apta effe, fed contrarium adeo effectum neceffario productura videatur. Confilium, quod fpectavit *Kantius* in promulganda fua interpretationis lege, hoc erat, ut Codicis Sacri, ab ecclefia recepti, auctoritas falva ftaret, utque huius ipfius Codicis adminiculo vera religio et moralis hominum emendatio quam maxime iuvaretur. Effe vero hanc practicae interpretationi virtutem hancque laudem deberi, ut, quam fecerit exfpectationem, vere expleat, de eo vehementer dubito 52). *Partim* enim ex perpetuo illo ftudio, omnia Scripturae effata ad moralem fenfum revocandi, fi vel vis fiat verborum et orationis ingenio, non poterunt non artificiofiores faepe et difficiliores explicationes exiftere, quam quae ab unoquoque facile intelligantur. Licet hoc videre in variis, ab ipfo *Kantio* paffim prolatis, interpretationum exemplis, quae adeo fublimia funt et a communi hominum captu remota, tamque ingeniofe compofita, ut vix a viris doctis, nedum ab imperita multitudine vera auctoris fententia omnino perfpici poffit. Quam vero in animum vim haec talia habebunt, quae mentis acies affequi et capere non valet? *Partim*

52) Cf. *Briefe über d. Perfectib. d. geoffenb. Relig.* p. 257. fqq.

etiam pauci erunt, qui verum verborum fenfum a morali interprete negligi et alienum commendari non animadvertant. De doctis et rei peritis hominibus hoc fponte intelligitur. Hos nunquam fallet practici interpretis calliditas. Sed nec indoctae et imperitae multitudini eius ftudia diu latebunt. Quo enim operofiorem artem practici interpretis partes interdum requirent, ut nimirum purior fenfus librorum S. verbis cum quadam fpecie tribui poffit, eo magis naturalis veri fenfus, cuius faepe eft admirabilis quaedam in vulgo fubtilitas, offendetur, quippe nefciens ingeniofas has et artificiofe compofitas explicationes cum verborum fimplicitate conciliare, eoque certius ac citius diffidentia et fraudis cuiusdam fufpicio dubios plebis animos occupabit. Huc aliud momentum accedit, quod maiorem adhuc vim ad alendam et augendam iftam fraudis fuspicionem habere videtur. Cum nimirum moralis Scripturae interpretatio, ut fupra (p. 60. fqq.) docui, nullis certis regulis, quoad modum exercitationis, adftricta fit, fed tota fere ab uniuscuiusvis interpretis arbitrio pendeat; fieri aliter vix poteft, quam ut non folum unus doctor ab altero, fed finguli etiam a fe ipfi in eodem loco explicando interdum recedant; utque adeo modo hunc modo alium fenfum moralem fingulis librorum S. dictis tribuant. Quam vero fructuofa fit haec interpretationis diverfitas ad perturbandos vulgi animos et ad fufcitandos diffidentiae ac fufpicionis fomites, aeque facile intelligi-

tur, atque planum est, non posse non plura inde mala enasci, si imperita multitudo imponi sibi a publico doctore, et in aliam saepe, quam quae propria sit scriptoribus, sententiam Codicis S. verba detorqueri, semel animadverterit.

Hinc enim illud *primum* sequi videtur, paucos fore, qui ea, quae non ex proprio Scripturae sensu dici, sed ulla aliqua ratione eius verbis adnecti intellexerint, curae cordique habeant, et ad se pertinere existiment; adeoque omnem fere fructuum e morali interpretatione producendorum spem illico eversum iri. *Deinde* hoc quoque consequens erit, ut publicus religionis doctor, qui ad *Kantii* praecepta Codicem S. tractasse visus sit, magnum fidei suae et auctoritatis detrimentum faciat, et in posterum laborum ac praeceptorum suorum vim atque efficacitatem sua ipsius culpa valde imminutam videat. Quem enim semel, quamvis bono consilio, sibi imposuisse vulgus animadverterit, huic nec in aliis rebus fidem amplius habebit, et, quod est diffidens ac meticulosum plebis ingenium, fraudis aliquid semper suspicabitur, nec quidquam facile, quod non sponte intelligatur, a magistro persuaderi sibi patietur; certe longum tempus praeteribit, donec mutua inter doctorem et auditores fides, si ab una parte semel laesa fuerit, plane restituatur. *Denique* vehementer etiam verendum est, ne sic omnis librorum sacrorum auctoritas et praeceptorum divinorum fides, quam moralis interpretatio, ex *Kantii* mente

tueri atque firmare debuiſſet, plane cadat et infringatur. „Si enim," ita ſecum cogitabunt indocti homines, „ſi talibus opus eſt ad conſervandam Scripturae auctoritatem artificiis, ea profecto magna eſſe non poteſt. Quid? forſan tota ficta eſt a viris doctis, huncque in finem excogitata, quo melius ad ipſorum arbitrium actiones noſtras regere et cum quadam divinae ſanctionis ſpecie nobis imperare poſſent? forſan multa Deus non ita inſtituit ac praecepit, ut nobis traduntur?" Vides facile, quorſum haec ducant; neque etiam recte opponi poteſt, plus me metuere, quam quod veri habeat ſimilitudinem. Qui enim vulgi mores et ingenium novit, is ſine dubio non temere ita a me iudicari fatebitur.

Sed vana ſint atque irrita, quam dixi; fac, maiorem eſſe atque firmiorem librorum S. et legum divinarum apud indoctos homines reverentiam, quam quae illico labefactari aut tolli poſſit, ſi male et perverſa ratione defendi eam ac ſuſtentari animadverſum fuerit; fac igitur, publicae Scripturarum auctoritati a morali interpretatione nullo modo aliquid periculi imminere; nihilo tamen minus ſtare videtur ſententia noſtra, qua *Kantianae* Codicis S. tractationi contrarium illi, qui ex auctoris mente eſſe debuerit, effectum adſcribebamus. Iam enim aliud malum a parte oppoſita metuendum erit. Cum nimirum practicus interpres, de *Kantii* voluntate, non ſolum omnia

ac ſingula *Scripturae* effata, ſed vulgaria etiam *ſyſtematis theologici* dogmata, quae tamen non ex ſacris ſemper literis, ſed maximam partem ex male ſano patrum eccleſiaſticorum ingenio derivata, et ſymbolorum, conciliorum, legum publicarum, poenarum capitalium et manuum armatarum ope ſancita ac propagata eſſe conſtat, dummodo ulla aliqua ratione moralem ſenſum admittant, in uſum ſuum convertere et publice tractare debeat; fieri aliter non poteſt, quam ut multa in ſe vana, inſulſa, perniciosa et a communi religionis diſciplina aliena decreta atque praecepta, quorum memoriam ſanior inſtitutio aliquatenus iam extinxerat, ſolemniter nunc, quamvis mutato ſenſu, revocentur et pro neceſſariis religionis capitibus tradantur ac commendentur. Inde vero quid conſequens erit? Dogmata ipſa in incautis mentibus inhaereſcent et in amiſſa iura reſtituentur, puriorem autem explicationem vulgus aut non intelliget, aut, ſi intellexerit, non curabit, quod arbitrariam eam eſſe et fictam animadvertit. Atque ita non ſolum veritatis ac virtutis ſtudium et purior religionis ſcientia non iuvabitur, neque mali principii poteſtas infringetur, neque etiam Dei regnum inter homines fundabitur, ſed ſuperſtitionis etiam, errorum et praeiudicatarum opinionum imperium longius propagabitur.

In promtu igitur eſt, moralem ſacrarum literarum interpretationem, quicunque eius ſit effe-

ctus, utilitatis nihil, noxae vero et malorum largam copiam secum afferre. Confirmat hoc exemplum antiquiorum doctorum e variis gentibus, qui molestam insulsitatis atque ineptiarum speciem a sacris suis remoturi, simulque vanas vulgi de rebus divinis opiniones aliquatenus correcturi, simili, atque *Kantius*, modo publicas de religione literas tractarunt 53). Tantum enim abest, ut studia sua temporum illorum aequalibus probaverint, ut potius omnem suam causam, antea iam suspectam, hac arte suspectiorem adhuc reddiderint. Docti et intelligentes arbitri eos ridebant atque sugillabant, imperita autem multitudo artificiosos ingenii lusus ad summum stupebat, neque tamen vulgari et propriae sibi de rebus divinis cogitandi ac sentiendi rationi vel tantillum valedicebat, quippe parum curans sublimes istas et a sensu suo remotas communium formularum explicationes.

Quae cum ita sint, meas mihi rationes, quare *Kantianam* librorum S. tractationem admitti atque commendari nolim, satis iam declarasse et probasse videor. Adhuc tamen superest unum aliquid, quod tanquam *tertiam* quandam causam superioribus adiicere liceat. Scilicet nihil omnino opus est ad assequendum id, quod voluit

53) Vid. ROSENMÜLLERI *Bemerkungen etc.* p. 122. sqq.

Kantius, istis interpretationis artificiis, potest idem consilium alia eaque expeditiore et minus lubrica via melius ac certius teneri; quod ipsa popularis institutionis, qualis ex triginta circiter annis apud nos fuit et adhuc est, historia manifesto docet. Ab illo enim tempore plures eosque honoratissimos ac spectatissimos viros ad eum ipsum, quem commendavit *Kantius*, finem obtinendum intentis viribus et cum insigni fructu adnixos esse, ut videlicet, exstirpatis vanis ac praeiudicatis opinionibus et everso superstitionis imperio, puriores religionis notitiae hominum animis instillarentur, utque ad veritatis ac virtutis amorem et ad sinceram mentis emendationem ecclesiae nostrae cives instituerentur, quis est, qui nesciat aut neget? An vero in hoc negotio opus fuit tali, qualem *Kantius* suasit, librorum S. interpretatione? nihil profecto minus; imo vero multi eorum, qui ipsi, si summam rei spectes, idem cum *Kantio* studium persequendum sibi et tractandum sumserant, publice significarunt, nolle se istud interpretationis genus probari et in institutionem popularem temere transferri. Atque ita ex historicis iam experimentis apparet, quam parum publico religionis doctori necessariae sint Kantianae istae interpretationis artes. Clarius tamen hoc intelligetur, si rem ipsam diligentius perpenderimus, et de optima populi ad veram religionem instituendi ratione, quae et fraudis suspicionem habeat, nullam, et naturali sua praestantia se ipsa commen-

det, convenerimus. Quaenam illa sit, ex meo quidem iudicio, paucis nunc exponam.

Publicus religionis minister, qui provinciae suae gravitatem sustinere ac tueri cupit, primum omnium vana et futilia dogmata, quae male sedula doctorum ecclesiasticorum curiositas finxit atque excogitavit, a decretis biblicis probe seiunget, haecque commendabit, illa auctoribus suis relinquet. Quodsi fecerit, multum iam profecisse sentiet. Namque haud exiguum esse eorum numerum, quae serior aetas genuinis Christi et Apostolorum praeceptis male et cum manifesto verae religionis detrimento affinxerit, sciunt omnes, qui in historia dogmatum tantum non omnino peregrinantur. 54) Neque etiam de iure, ex quo liceat, systematis theologici dogmata a decretis biblicis plane secernere, ullus scrupulus residebit, si vel hoc unum cogitetur, universam ecclesiae nostrae Protestanticae constitutionem ea thesi, tanquam fundamento suo, inniti, ut omnis auctoritas humana in causa religionis penitus reiiciatur, nihilque aliud, nisi quod ex ipsis sacris libris demonstrari possit, doceatur ac commendetur. 55) Quare hoc primum popularis institutionis

54) Cf. WACHLERI Progr. *de Theologia ex historia dogmatum emendanda.* Rintel. 1795. 4.

55) Vide ROSENMÜLLERI libellum: *Beantwortung der Frage: Warum nennen wir uns Protestanten?*

tionis praeceptum nihil quidquam dubitationis aut difficultatis habere videtur. Plus negotii ea, quae nunc enascitur, quaestio facessit. Nempe cum sacrae literae, ut supra (p. 45. sqq.) vidimus, praeter doctrinam vere divinam alia adhuc quaedam contineant, quae a communi omnium hominum ac temporum usu aliena sunt, nec ad veram religionem pertinent; quaeritur nunc, qua ratione optime caveri possit, ne certis et communibus religionis praeceptis ea admisceantur, et quid a publico doctore fieri oporteat, ut disciplinae suae alumni veritatem absolute declaratam a veritate pro captu et necessitate temporum adumbrata rite distinguere, et ad puriorem religionem sensim adspirare discant? Quae mea sit mentis sententia quodque iudicium de quaestione proposita, ingenue nunc aperiam.

In universum quidem plurimum proderit, si ante omnia de consilio, caussis, iustoque singulorum, qui sacri habentur, librorum pretio, et de peculiari

ten? Lips. 1790. 8. inprimis vero consulendus est ECKERMANNI tractatus: *Ueber die Gründe, welche uns jetzt berechtigen, ja sogar verpflichten, das kirchliche Lehrsystem ganz von der Lehre Jesu zu unterscheiden; und über die Regeln, nach welchen dieser Unterschied, und was eigentlich Lehre Jesu sey, bestimmt werden muss;* in *d. theolog. Beytr.* Vol. II. P. II. tota.

primorum lectorum conditione, recta et tum ad veritatis leges tum ad vulgi captum composita institutione, publice atque de industria praecipiatur. Cur enim non profiteamur, quod res est, scriptores nimirum sacros in componendis suis libris non nostras sed aequalium suorum rationes proprie curasse et curare debuisse, adeoque multa etiam praecepisse, quae a nostro usu aliena sint, nihilque ad nos pertineant? Cur dissimulemus aut negemus, non omnia Scripturae effata uno eodemque numero habenda esse, doctrinamque vere divinam diligenter distingui debere a decretis temporariis ac localibus, et ab aliis narrationibus aut praeceptis, quorum ne minimus quidem cum ipsa religione nexus intelligatur? Cur potius non libere hoc concedamus ipsique defendamus? Cadet quidem, ubi haec traduntur, horror ille sacer, qui tam diu tamque pertinaciter venerandis istis antiquitatis monumentis adhaesit, et quo factum est, ut vel singulae syllabae et literarum apices pro particula quadam divinae institutionis haberentur, atque universum horum librorum corpus, tanquam volumen coelo delapsum et profundis plenum mysteriis, coleretur; cadet sedulum illud et curiosum, ubique locos communes exsculpandi, studium; cadet (ut uno verbo omnia comprehendam) illa, quam recte et eleganter bibliolatria dixit, cuiusque veram imaginem nuper adumbravit Henkius. 56) Neque tamen idcirco me-

56) In *Praefat.* ad *lineamenta institutt. fidei Christ.* p. 19. sq.

tuendum eſt, ne res Chriſtiana quandam dignitatis iacturam faciat; imo vero cultu ac honore multum augebitur. Partim enim in his ipſis, quae cadent, ineſt peſtiferum quoddam ſuperſtitionis genus, quod ferri non oportebat, cum non poſſet non multas pravas ipſique religioni et virtuti perniocioſiſſimas opiniones gignere ac fovere; partim nunc demum, ubi inſtitutionem divinam ab humana inventione rite diſtinxeris, atque in aeſtimando Codicis S. pretio ad ingenium ſeculi, quo ſingulae eius partes confectae ſint, probe attenderis, *vera* Scripturarum auctoritas et agnoſcetur et ab adverſariorum calumniis optime vindicabitur. Quare non eſt, quod ab hac veritatis profeſſione, quae ad publicas de religione literas ſpectat, timeamus. Poſtea vero quam popularis doctor diſciplinae ſuae alumnos ita inſtituit, ut intelligant, non omnia, quae in ſacris literis conſignata ſint, ſimpliciter ad nos pertinere, et multa cautione opus eſſe, ne temere a nobis miſceantur, quae diligenter ſint ſeiungenda; in eo etiam ſtudium ſuum occupari debet, ut optimam hos libros legendi et tractandi, iisque recte utendi rationem ſuos edoceat. Saepius iam, et veriſſime quidem, monitum eſt, eam Sacri Codicis lectionem, quae omnia ac ſingula illius dicta aequo pretio aeſtimet, neque ullum locorum communium ac planorum delectum faciat, neque etiam aetatis et ingenii ſcriptorum rationem habeat, imperitae multitudini plus damni quam utilitatis effi-

cere. 57) Quapropter liberalis religionis magister eo diligentius curabit, ut discant sui, *quid* potissimum ex universo Scripturae ambitu legendum sibi sumere, et quo modo ac ordine quaque circumspectione hoc legere, et qualem inde usum ad vitam suam, mores animique sensus derivare eos oporteat. 58) Quod quidem studium quam maxime iuvabitur, si simul hoc curare velint doctores, ut compendio S. Codicis, quod remota inutili, aliena, ambigua, offensionis plena, et pri-

57) Cf. I. G. Beckeri tractat. theol. quo in quaestionem inquiritur; *utrum lectio literarum sacrarum omnibus omnino Christianis maxime imperitae multitudini valde sit commendanda?* Rostochii. 1793. 4. et ad eum *N. theolog. Journ.* T. II. p. 85. sqq. Inprimis de V. T. lectione hoc, quod dixi, valet; qua de re omnino consulendus est Hufnagel in l. *die Schriften des A. T. nach ihrem Inhalt und Zweck bearbeitet.* P. I. Erlang. 1784. 8. Cum hoc ipso momento utilissimum Thiessii opus, quod de recentioribus scriptis theologicis exponit, (*Handbuch der neuern besonders deutschen und protestantischen Literatur der Theologie, von D. Ioh. Otto Thiess.* Vol. I. Lignicii et Lipsiae. 1795. 8.) manibus tractaverim, quasi praeteriens monebo, hunc *Hufnagelii* librum ibi omissum videri.

58) Ad hunc usum egregie composita est I. G. Rosenmülleri Commentatio: *Anleitung zum erbaulichen Lesen der Bibel.* Lips. 1793. 8.

morum lectorum necessitatibus unice accommodata materia, summam tantum eorum contineat, quae vere faciant ad religionis sensum et dignitatem, indoctorum hominum imbecillitati succurratur. 59) Atque utinam tandem talis epitome, quae, utpote his virtutibus ornata, iure meritoque commendari possit, a Viro quodam docto et interpretationis gnaro post tot desideria pia componatur, et in communem ecclesiae usum publica auctoritate sanciatur! 60). Quae enim exstant huius generis scripta, eorum nullum ita comparatum est, ut iustam exspectationem expleat, cum auctores illorum, sive consilium, sive argumenti

59) Necessitatem atque utilitatem compendii cuiusdam biblici, si de V. T. libris quaeratur, nemo facile erit, qui in dubium vocare audeat. Cf. *Zwey theologische Bedenken (Noesselti* et *Koerneri) über die Frage: ob es nöthig und nützlich, ausser dem N. T. nur einen Auszug des A. T. zu gebrauchen?* Erlang. 1783. 8. Sed de Novi quoque Foederis voluminibus idem erit pronuntiandum, iisdem fere de caussis; quod bene monuit DOEDERLEIN in *Institut. Theologi Christ.* Part. pr. §. 35. p. 113. sqq. ed. 5.

60) De rerum delectu et de universa compendii biblici ratione multa utiliter, vere ac sapienter praecepit *Auctor* commentat. *Wie muss ein populärer Bibelauszug beschaffen seyn?* in d. *Beyträgen z. Beförder. des vernünftig. Denkens in der Religion.* Partic. VIII. p. 127. sqq.

delectum et compositionem spectes, multis modis peccasse neque omnino certas leges sibi scripsisse videantur.

Haec fere est communis illa familiae Christianae ad veram religionem instituendae ratio, quam, meo quidem iudicio, unam maxime sequi oporteat publicos doctores, si studia sua optimo cuique probare et ab omni fraudis suspicione libera servare velint. Praeterea autem multae adhuc aliae patent viae, quibus vera religio, si minus multum, at aliquatenus certe iuvari potest; illae vero, cum plerumque a temporis et loci opportunitate, et ab hominum, quibuscum agitur, ingeniis pendeant, nos nihil nunc morantur. Ne tamen plane intactum relinquamus, quod propius a re nostra abest, his communibus atque universalibus praeceptis eas adhuc speciales institutionis popularis regulas, quarum potissimum pro concione sacra usus esse videatur, adiungemus. Atque hic prima publici doctoris cura erit, ut, quae veram religionem et moralem mentis emendationem vel non iuvare vel adeo impedire, nihilque ad nostrum usum pertinere cognoverit, haec omnia, quacunque auctoritate nitantur, prudenti silentio, quantum fieri possit, praetervehatur. Ita enim eorum memoria ex hominum animis sensim atque inopinato extinguetur; idque eo magis sperare licet, quo diligentius ea religionis capita, quibuscum vanae istae ac praeiudicatae opi-

niones haud facile conciliari posse videantur, simul tractantur atque exponuntur; quae quidem altera est populi pro concione liberaliter instituendi regula. Nimirum aperte atque directe inveteratos vulgi errores, maxime eos, qui quandam sanctitatis speciem habent, impugnare, raro aliquid prodest, imo multum saepe nocet; contra vero, si fundamenta eorum indirecta correctione atque ita evertuntur, ut vera religionis dogmata, his erroribus contraria, iterum iterumque explicentur, et aliud quasi agendo veri videndi adminicula subministrentur, non potest non perniciosa illarum opinionum vis paulatim infringi penitusque tandem exstirpari. 61) Quare hanc gentis Christianae ad saniorem Dei cultum, publicae institutionis ope, educandae rationem magnopere commendaverim. Neque minus liberalis religionis doctor, pro concione verba faciens, eam denique legem sibi scribet, ut singulos librorum S. locos, de quibus publice dicendum sit, hactenus semper tractet et persequatur (siquidem hoc recta et commoda ratione fieri possit), quoad maxime valeant ad virtutem, pietatem animique tranquillitatem. Saepius quidem talem locorum biblicorum tractationem, per ipsum eorum argumentum a religionis disciplina alienissimum, omnino locum habere non posse, nisi verbis vim inferre et a pro-

61) Cf. Hottingeri Oratio nota 48. citata.

prio orationis ſenſu temere recedere velis, lubenter concedo; ſed praeterquam quod hoc iudicium tantum de nonnullis univerſi Codicis particulis valeat, neque ullo modo ad ipſa divinae inſtitutionis placita, ab omnibus aliarum rerum involucris atque integumentis purgata, transferri debeat, praeterea multa quoque alia in ſacris literis leguntur, quae, quamvis per ſe nullo neceſſario nexu cum ipſis religionis decretis cohaerere videantur, nihilo tamen minus oratoribus, qui quidem iis recte uti ſciant, largam utiliſſimae diſputationis materiem ſuppeditent, et ad hunc ipſum, qualem ſignificavi, uſum bene converti poſſint; de quibus etiam unice nunc loquor. Pertinent autem huc imprimis eae Bibliorum partes, quae ſunt *hiſtorici* argumenti; de quarum quidem pretio, tractatione et cum religionis diſciplina nexu, cum non una ſit Virorum doctorum ſententia, ſingulatim adhuc, quamvis breviter, erit exponendum.

Kantius nimirum, ut omnia, quae ſolam empiricam fidem efficiunt, neque neceſſariis rationis practicae notionibus ac decretis innituntur, e religionis diſciplina, tamquam alienas appendiculas, exterminari, nec niſi quoad neceſſaria ſint fidei moralis adminicula, tolerari et ad tempus retineri vult ac ſuadet, ita nominatim *hiſtoricis* librorum S. locis nullum omnino pretium in

causa religionis statuit. 62) Neque ego diffiteri possum, hanc sententiam mihi quoque *hactenus* se probasse, ut et ipse religionis et theologiae Christianae disciplinam ab *historia biblica* nihil pendere, et utramque rectius seiungi existimem. 63) Ita autem statuo, non quasi de fide huius historiae dubitem, sed quod eam, quamvis fide dignissimam, nullo necessario nexu cum ipsis religionis Christianae placitis cohaerere persuasum mihi est. Haec enim per se stant, et ad mentem animumque hominum pertinent; *historia* autem, qua talis, h. e. quatenus res in facto positas simpliciter exponit, solam memoriae vim exercet, cuius quidem in causa religionis nullae sunt partes, certe non praecipuae. Neque etiam religionis capita

62) *Die Religion innerh. d. Grenz. d. blofs. Vernunft.* p. 44. nota *) p. 108. et p. 152.

63) Eandem sententiam professi sunt praeter alios, AMMON, tum in *Diar. theol.* T. III. p. 247. sqq. tum in Progr. aditiali, quo inquirit: *quatenus disciplina religionis et theologiae Christianae pendeat ab historia Iesu Christi.* Goetting. 1794. 4. *Scriptor anonymus* in HENKII Magazin. T. I. p. 392. sq. cl. p. 362. LOEFFLER in *d. Gutachten über einige wichtige Religionsgegenstände.* p. 20. sqq. et p. 79. sqq. Legi etiam merentur, quae de hac quaestione commentatus est PLANCKIUS in *s. Einleitung in die theolog. Wissensch.* T. II. p. 463. sqq.

hactenus a rebus gestis pendent (quod multis videtur), ut ea ex his vel rectius informari, vel ambitu suo dilatari, vel etiam novis rationibus fulciri possint, cum a *singulis* factis ad *communia* rationis praecepta non valeat conclusio. Quare si de origine, propagatione et fatis primis Christianae religionis vel nihil plane constaret, neque etiam de auctore eius in sacris literis quidquam consignatum esset, multas quidem easque sat graves, hanc rerum utilissimarum ignorantiam dolendi causas haberemus, neque tamen eam, quod sic necessaria quaedam ipsius religionis pars deficeret, dummodo *doctrinae*, a Iesu Christo traditae, vera et perfecta scientia ad nostram aetatem pervenerit. 64) Atque ita *Kantius*, historica librorum sacrorum decreta ad religionem obiective per se consideratam nihil pertinere, recte omnino iudicavit. Quod quidem quamvis lubenter largior, de eo tamen, quod inde colligit Vir summus, non possum sententiae eius subscribere. Fretus nimirum hoc suo de historia biblica, ab ipsa doctrina Christi utique secernenda, iudicio, quidquid rerum gestarum sacrae literae prodiderunt, ita fere semper tractat vultque tractari *Kantius*,

64) Cf. LOEFFLER in praefat. ad vernaculam libri francogallici *de Platonismo Patrum* versionem, ab ipso curatam (*Versuch über den Platonismus der Kirchenväter. 2te Aufl.* Züllichau. 1792. 8.) p. IX. sq.

ut omnis facti hiſtorici ſpecies tollatur, et ſcriptorum verba ad ullum aliquem ſenſum, qui purae rationis decretis conveniat et innitatur, revocentur aut detorqueantur, adeoque hiſtoria empirica in rationalem, externa in internam quaſi mutetur. Certe hanc tractationem, ut de aliis locis nunc taceam, ea hiſtoriae biblicae pars experta eſt, quae de *filio Dei*, Patris ad homines legato, ſive (quae eſt vulgaris vulgarium Theologorum dialectus) de *incarnatione verbi divini* exponit. *Kantio* enim *filius Dei* nihil aliud eſt, quam *idea vere pii et boni hominis, in perſonae formam transfuſa*; (*Die perſonifizirte Idee des guten Prinzips, das Ideal der Gott wohlgefälligen Menſchheit*); 65)

65) l. l. p. 67. ſqq. Mira res eſt et notatu digna, quod philoſophica KANTII *de filio Dei* diſputatio, verborum certe ſimilitudine, accurate iis conveniat, quae *Fratres liberi ſpiritus*, fanatica quaedam et turbulenta Seculi XIII ſecta, de eodem commenti ſunt. Nam quae MOSHEMIUS in *inſtitutt. hiſtoriae eccleſ. antiquae et recentioris.* Helmſtad. 1755. 4. p. 552. ſq. nota p) ex ſecretioribus illorum hominum libris excerpſit, ea *Kantianis* formulis ex aſſe ſere reſpondent. Rara profecto et inaudita rationis philoſophantis cum furore fanatico conſenſio! Quam ipſam neque ullam aliam ob cauſam paucula quaedam ex MOSHEMIO huc transſcribere iuvat: *Omnis homo vere pius et bonus eſt unigenitus Dei filius, quem Deus ab aeterno genuit: — Deus gignit adhuc filiu n ſuum unigenitum et eundem gignit filium,*

ſicque adeo, quod tamquam rem in facto poſitam tradunt libri ſacri, tractat ille tamquam notionem quandam mentis humanae. Iam vero etſi non ita caecus ſum et hebes ad intelligendum, ut inventionis ac compoſitionis artificium ingeniique acumen in hac *Kantiana* hiſtoriae biblicae tractatione non videam et admirer, nolim tamen eam recipi atque vel popularibus doctoribus, quam exprimant et ſequantur, commendari; 66) idque cum propterea, quod non intelligo, quid boni ab hac nova et inaudita plane *hiſtoricos* S. Codicis locos tractandi ratione, quae ipſa ſua inſolentia unumquemque facile offendat, ſperari poſſit, tum inprimis eam ob cauſam, quoniam hiſtoriae biblicae, ſi vel ad literam et ex proprio verborum ſenſu ea explicetur, magna tamen eſt, maxime in inſtitutione populari, utilitas 67) dummodo do-

quem ab aeterno genuit: — Quod Scriptura dicit de Chriſto, id de quolibet homine divino et bono verum eſt: — Quilibet homo perfectus eſt Chriſtus per naturam: etc.

66) Nec Ammonio haec hiſtoriae biblicae tractatio omnino placuiſſe videtur; v. *N. theolog. Journal.* T. I. p. 437.

67) V. Rosenmülleri *Bemerkungen etc.* p. 95. ſqq. Hoc idem Ammon quoque concedit; ll. nota 63. ll. Univerſas quasdam de hiſtoriae bibli-

ctoris in hac re occupati ſtudia ſapientia et iudicio regantur. Quo enim iure hiſtoriam univerſe vitae magiſtram dixerunt, eodem et maiori etiam biblicae hiſtoriae hoc nomen convenit. Eam enim, quippe cum ſimplici ſua et plana rerum geſtarum expoſitione graviſſima fidei moralis capita non modo una complectatur, ſed propius etiam, quam alias facile poſſit fieri, menti humanae admoveat et ſenſibus quaſi ſubiiciat, hocque ipſo eorum ad animum vim multum augeat, eam, inquam, egregium eſſe verae religionis virtutisque inter homines, maxime in imperita et ſubtilioris meditationis inſueta plebe, iuvandae ac promovendae inſtrumentum, et res ipſa et quotidiana experientia ſatis ſuperque docent. Neque tamen ſingulae hiſtoriae biblicae partes pariter aequaliterque ad hunc uſum aptae ſunt; quod lubenter concedo. Opus igitur eſt publico doctori in hac re, ut iam dixi, ſapientia et iudicio, tum ut caveat, ne ex ſingularibus quibusdam et a communi uſu alienis, iisque offenſionem aliquam ſaepe habentibus actionibus, quas referunt ſacri commentarii, et ex aliis rerum inſolitarum narrationibus pravae ac perverſae vitae morumque regulae deriventur, tum ut iuſtum delectum facere, et quotiescunque de hiſtoricis Scripturae locis publice

cae pretio obſervationes propoſuit Noesseltus in *ſ. Anweiſ. z. Bild. angeh. Theologen.* T. II. §. 9—15. p. 15. ſqq. ed. 2.

dicendum ſit, eos hactenus ſemper tractare ſciat, quoad maxime faciant ad pietatem, virtutem animique tranquillitatem 68) Atque huius quidem, quam ultimo loco commemoravi, tractationis materiem ſatis multam et utiliſſimam inprimis hiſtoria Ieſu Domini ſuppeditat. 69) Neque enim haec eo ſolum nomine praedicanda eſt, quod theoretica religionis Chriſtianae dogmata optime illuſtret et ante oculos quaſi exponat, quodque plane egregium ſit ab empiricis cognitionibus ad moralem fidem homines paulatim perducendi adminiculum, ſed praeterea etiam a ſingulari, quam ad emendationem, probitatem beatitatemque Chriſtianorum habet, vi atque efficientia merito laudari debet, cum nimirum et pietatis ac virtutis, quam imitemur, 70) et felicitatis iis nexae, quam intuentes animo confidamus et tranquillemur, per-

68) Uberius haec expoſuit NIEMEYER in *J. popul. u. pract. Theologie.* §. 148—151. p. 215. ſqq. ed. 3.

69) Cf. omnino DOEDERLEINII Commentt. IV. *de hiſtoriae Ieſu tenendae tradendaeque neceſſitate ac modo*, in *Opuſcc. theolog.* Ienae, 1789. 8. p. 1. ſqq.

70) Quod *quomodo* fieri poſſit ac debeat, accuratius definivit *venerandus* CAR. AUG. THEOPH. KEIL in diſſert. *de exemplo Chriſti recte imitando.* Lipſ. 1792. 4.

fectissimam absolutissimamque imaginem nobis exhibeat. Quare magnum utique manet huius historiae pretium et insignis quaedam, maxime in institutione populari, utilitas, si vel ipsam religionis Christianae disciplinam ab ea unice pendere non concedatur, quin potius omnem historicam fidem ad extremum penitus exspirare et in moralem fidem transire debere iudicetur ac defendatur.

Sic igitur — ut iam in viam revertamur, a qua paululum nos abduxerat diverforum, de historiae biblicae pretio et cum religionis disciplina nexu, — iudiciorum cognitio — *tertiam* quoque causam, quare Kantii de morali sacrarum literarum interpretatione praeceptis adsentiri non possem, satis mihi declarasse videor atque explicuisse; et sponte iam apparere existimo, nihil omnino publico religionis doctori, qui disciplinae suae alumnos ad veriorem Dei cultum educare velit, in institutione sua, sive universe ea spectetur, sive etiam concionum sacrarum potissimum ratio habeatur, opus esse *Kantianae* interpretationis artificiis, cum alia eaque expeditior et minus lubrica via (quae quidem videtur) ad eundem, quem Kantius sibi proposuerit, finem adsequendum, pateat. Adhuc tamen unus quidam restat scrupulus, qui, nisi solvatur, huius meae sententiae veritatem dubiam reddere incertamque facile possit videri. „Qui enim — ita fere dixeris —

„publicus religionis minifter, pro concione verba „faciens, interdum non neceffe habeat, *Kantianam* interpretandi rationem fequi, fi v. c. fu„premi magiftratus et qui praefunt ecclefiis fu„per eiusmodi S. Codicis dictis, quae ineptum „vel adeo improbum fenfum fundant, qualia funt „Pf. LIX, 11—16. Pf. LXIX, 23—29. Pf. CIX. „orationes folennes haberi iubeant? Namque fi „proprium talium locorum fenfum premere, et „v. c. diris illis Pfalmiftae exfecrationibus ita in„haerere vellet popularis doctor, ut de gaudio „Chriftiani hominis, ex caede hoftium fuorum et „poena ab iis fumta oriundo, diceret, id profe„cto non effet ἀνθρωποις λαλειν οἰκοδομην και παρα„κλησιν και παραμυθιαν (1 Cor. XIV, 3.), imo „vero τιθεναι προσκομμα τῳ ἀδελφῳ ἠ σκανδαλον „(Rom. XIV, 13.). Sin fcriptorem facrum, vi„rum θεοπνευστον, impugnare et magiftratum rifui „exponere mallet, hoc item non liceret, neque „etiam commodum effet atque utile. Quid igitur „aliud reftat, quam ut pofthabito grammatico „verborum fenfu puriorem fententiam auctoris „menti tacite fubiiciat?“ At enimvero alia etiam reftat ex his difficultatibus fefe expediendi ratio, haec nimirum, non ut proprium verborum fenfum diffimules aut detorqueas, fed explices et definias, quantum opus fit, fimul vero ex temporum illorum rationibus et peculiari fcriptoris conditione utcunque excufes, neque omnino diu ei inhaereas, quin potius prudenter atque inopinato oratio-

orationis filum ad ea ſtatim deflectas, quae ad ſaniorem religionis ſcientiam, virtutem animique tranquillitatem magis ſint frugifera. 71) Et ſane eſt, quod *hanc* offenſionis ſcopulos in re noſtra vitandi rationem *illi* multum praeferam, cum ea ſumta non modo nulla neque ſcriptori neque iis, quorum iuſſu de talibus locis publice exponendum eſt, fiat iniuria, ſed veritatis etiam et bonae fidei ſalva maneat atque inviolata auctoritas; quod ſecus erat in illa. Ut igitur nusquam omnino, ne in hac quidem, de qua modo dictum eſt, ſcrupuloſa et difficili ſacri oratoris cauſa, quae vero ipſa vix unquam aut certe perraro tantum locum habebit, aliqua *Kantianae* interpretationis neceſſitas apparet, ita, ſi vel concedi debeat, poſſe per improviſas quasdam temporis locique rationes hanc neceſſitatem interdum obvenire, nihil tamen adverſus nos inde ſequetur. Namque id nihil aliud erit, quam ſingularis quaedam a communi regula exceptio, quae quidem eo minus quidquam momenti habet, quo rarius publico doctori, qui eandem aut ſimilem, atque ipſi

71) Idem fere de hac quaeſtione iudicium Ammon (*N. theol. Journ.* Vol. III. p. 496.) et Poelitz (*Kritik der Religionsphiloſophie und Exegeſe unſ. Zeitalters.* p. 399. ſq.) tulerunt. Uterque enim puriorem ſenſum ſcriptorum divinorum verbis ab oratore ſacro non *obtrudi* aut *inferri*, ſed *adnecti* vult ac ſuadet.

leviter perſtrinximus, gentis Chriſtianae ad veram religionem inſtituendae rationem ſequitur, aliquid tale accidere poteſt, ut illam admittere atque uſurpare cogatur.

Quapropter verum utique manet, quod antea poſui, nimirum ad obtinendum id, quod KANTIUS voluerit, non ſolum non opus eſſe *morali* ſive *practica* ſacrarum literarum interpretatione, ſed planiorem etiam et minus lubricam viam, quae certius ac tutius ad eundem finem perducat, patere. Quod ſi ad haec illud nunc addatur, de quo fuſius antea diſputatum eſt, neque per bonam interpretis fidem licere, ad KANTII exemplum et voluntatem Codicem S. tractare, neque, ſi liceat, ſatis aptam fore hanc tractationem adſequendo auctoris ſui propoſito, cum ea non poſſit non contrarium adeo, quam qui proprie eſſe debuerit, effectum ſaepius producere; non vereor, ne quis propterea, quod ſummi Philoſophi de libris ſacris interpretandis praecepta reiicere atque impugnare auſus fuerim, inconſideratae cuiusdam ſive temeritatis ſive cupiditatis reum me faciat. Neque etiam talis incuſatio recte in me cadere videtur, quippe qui optime mihi conſcius ſim, partim, quidquid ſcripſerim et iudicaverim, illud me diligenter antea, quam literis conſignarem, momento ſuo ponderaſſe, partim non aliunde, quam ex ingenuo veritatis inveſtigandae ac detegendae ſtudio omne meum

qualecumque de universa hac quaestione iudicium pependisse. Atque huius mei ab omni partium studio alieni et solo veritatis amore ducti animi illud etiam haud leve indicium haberi potest, quod non solum, quae *Kantianae* librorum sacrorum interpretandorum praeceptioni *recte* opponi posse viderentur, sed etiam, quae *minus commode*, mea quidem sententia, a viris doctis contra eam disputata essent, aperte significaverim, eoque ipso apud utramque disceptantium partem in invidiae atque offensionis discrimen sponte me obtulerim. Caeterum hic idem veritatis amor illud quoque nunc me profiteri iubet, studium ipsum et consilium KANTII, quod per totam suam de religionis disciplina commentationem persecutus est, quodque etiam praeceptorum de morali sacrarum literarum interpretatione ansam praebuit, utique laudandum esse et mihi quoque admodum probari, quamquam nonnulla consilii huius adsequendi instrumenta, et nominatim illud, de quo hactenus vidimus, admitti atque vel popularibus doctoribus commendari nolim. Etenim ex singulis fere libri *Kantiani* paginis manifesto apparet, nihil aliud venerabilem hunc Senem propositum sibi habuisse, quam ut exstirpatis vanis ac praeiudicatis rerum sacrarum opinionibus, everso caecae fidei, superstitionis et vitiositatis imperio, detectisque simulatae pietatis latebris, ad puriorem religionis disciplinam, quae sinceram mentis emendationem, virtutis amorem, vitaeque probitatem ac honesta-

tem gigneret atque foveret, hominum animos institueret. Quis vero haec non laudet? quis studiis his et conatibus non applaudet faveatque? quis igitur talem Virum non magni faciat ac veneretur, si vel singula, quae iste commendaverit, propositi sui exsequendi adminicula probari nequeant? Sed haec de KANTIO dicta sufficiant.

Quemadmodum vero huius summi Viri de morali librorum sacrorum interpretatione monitis atque consiliis non adsentior, ita multo minus laudare possum eorum studia, qui, KANTII auctoritate abusi et velle se eius rationem in interpretando exprimere professi, licere sibi putant, scriptorum divinorum verbis quemcumque alium, quam qui verus sit, sensum tribuere, simul vero, ut causae suae quendam colorem inducant, quo vel eruditis lectoribus, si Diis placeat, eam commendent, ratiunculas etiam undecumque collectas interpretationum suarum monstris suggerunt. Ista enim interpretandi ratio (si eam hoc neque potius calumniae aut certe ludificationis nomine appellari fas est), quo facilius solo arbitrio, quod omnes verae interpretationis leges funditus tollit, inniti et a libidine sive licentia proxime abesse intelligitur, quoque simul est fallacior, eo minus ferri, quin imo fortiter repudiari et auctoribus suis reddi ac remitti debet. Ad hos autem praeter alios plures pertinet inprimis PENZENKUFFERUS quidam, qui nuper duobus speciminibus

propofitis aliquam talis interpretationis promulfidem dedit, quam maioris molis opus, quod copiofius hoc argumentum perfequeretur, mox excepturum erat. 72) *Alterum* ex iftis fpeciminibus (lib. infra laud. p. 379—383.) locum quendam Evangelii Iohannis, Cap. IV, 24. tractat; *alterum* (p. 383—388.) de formula celebratiffima: *βασιλεια τȣ θεȣ*: qua non alia eft facile in N. T. libris frequentior et vero etiam magis controverfa, 73) exponit. Atque de *hoc* paucis nunc videamus.

72) *Ueber einige Stellen im Neuen Teftament, nach Kantifcher Erklärungsmethode, Probe einer gröſsern Arbeit. Von* C. W. Penzenkuffer, *in Nürnberg;* in Henkii Magazin. T. III. p. 379. fqq.

73) Vide fcriptores in commentatione noftra: *Ueb. d. Aeuſserungen Jefu von d. Reiche des Meffias;* in Henkii Magazin. Vol. II. p. 359. fqq. laudatos, quibus adde Ioh. Iac. Hess *Vom Reiche Gottes.* Turici, 1780. 8. Gottl. Chr. Storr differt. *de notione regni caeleftis.* Tubingae, 1782. 4. Geo. Henr. Lang *Zur Beförderung des nützlichen Gebrauches des W. Abr. Tellerifchen Wörterbuchs des N. T.* fub voce *Reich.* Part. IV. p. 63—85. Car. Chr. Flatt differt. *de notione vocis βασιλεια των ȣρανων, ex ipfis Chrifti dictis eruta.* Tubingae, 1794. 4. iterum typis excufa in *Comment. theolog.* Vol. II. p. 421. fqq.

Ex doctissimi *Penzenkufferi* sententia βασιλεια τȣ θεȣ explicari debet per βασιλεια τȣ πνευματος τȣ θεȣ, idque hanc ob causam, quod in sacris utriusque aetatis et generis monumentis tum יהוה pro רוח יהוה, tum θεος pro πνευμα τȣ θεȣ haud raro ponatur, testantibus quidem locis his: Iudic. XVI, 20. cl. XIV, 6. 19. XV, 14. 1 Sam. XVI, 13. cl. v. 18. Ephes. V, 5. cl. IV, 30. V, 9. Ephes. III, 19. cl. v. 16. Ephes. IV, 24. cl. V, 9. Iam vero — ita pergit Auctor — formulae illi רוח הקדש sive πνευμα τȣ θεȣ ex usu loquendi Iudaico principalis ac plena notio inest haec, ut *virtutem sapientiae iunctam* significet. Hinc igitur βασιλεια (τȣ πνευματος) τȣ θεȣ idem erit ac βασιλεια της σοφιας (h. l. i. q. της συνεσεως) και της δικαιοσυνης, h. e. vis atque efficacitas studii hominum, quod virtute ac sapientia continetur et occupatur, (*die Wirksamkeit des Geistes der Weisheit und Moralität*,) sive imperium rationis practicae propensaque animi ad praecepta eius exsequenda voluntas (*die Herrschaft der practischen Vernunft, die Wirksamkeit des sittlichen Vernunftgeistes*). Similiter nunc iuxta eandem normam diversae illae N. T. locutiones, quae ex hac formula natae sunt et compositae, explicantur. Sic v. c. εισερχεσθαι εις την βασιλειαν τȣ θεȣ sive των ȣρανων ex Auctoris mente verti debet: imperium rationis practicae agnoscere et revereri, reipublicae ethicae universalis sive ecclesiae invisibilis civem fieri; ευαγγελιζεσθαι την βασιλειαν τȣ θεȣ

eſt: inſtitutione et exemplo obedientiam rationis practicae legibus praeſtandam aliis commendare; ἤγγικεν ἡ βασιλεια των ȣρανων ſignificat: virtus ac ſapientia, ſive ex *Kantiana* dictione, bonum principium imperii ſui in hominum animos exercendi initium ponit, ethica Dei civitas conformari incipit; et ſic porro.

Expoſui fere et exemplo quodam illuſtravi potiora momenta, quae ad declarandam novae ſacrarum literarum interpretationis, qualem ex *Penzenkufferi* mente eſſe oporteat, vim ac naturam valeant; atque hac ipſa brevi et ſimplici enarratione anticipatum meum rei iſtius iudicium intelligentiſſimo cuique ita iam probaſſe mihi videor, ut plura addere vix opus ſit. Etenim *primum*, quis non ſtatim, ubi haec legerit, talem Codicis S. tractationem mere arbitrariam eſſe et a vera interpretatione toto caelo diſtare intelligat? Certe non minutis difficultatibus conſtrictum et paene iugulatum ſe ſentiat Auctor, ſi quis eum rationes poſtulet, cur nomen *Dei* in formula noſtra nominatim et unice per πνευμα τȣ θεȣ explicari, hocque ipſum eo nominatim ſenſu, ut ſit *virtus ſapientiae iuncta*, capi debeat, cum tamen, ſi ex *ſolo* linguae uſu nec niſi ad grammaticas leges res iudicetur (ut viſum eſt Auctori), multi etiam alii formulae huius explicandae modi cogitari poſſint. Sic v. c. notus eſt Hebraiſmus, ex quo nomina Dei aliis vocabulis, cum adiectivis tum ſubſtan-

tivis, ita iunguntur, ut summam rei alicuius praestantiam et perfectionem sive gradum rei superlativum exprimant. 74) Cur igitur ἡ βασιλεια τȣ θεȣ non vertamus *regnum amplum, potens et florentissimum?* Sic etiam satis constat, רוח הקדש et πνευμα τȣ θεȣ in sacris literis multas adhuc alias, quam quae Auctori placuit, significationes habere. 75) Itaque si vel concedamus (quod tamen per alias rationes fieri nec potest nec debet), nomen *Dei* in formula nostra per πνευμα τȣ θεȣ utique explicandum esse, cur vero dictioni huic eum nominatim sensum tribuamus, quem Auctor vult, et cur non alium? Porro cum ἡ βασιλεια τȣ

74) Vide Vorstii *Commentarium de Hebraismis N. T.* Cap. XVI. p. 387. sqq. ex edit. *Fischeri.* Glassii *Philologiam Sacr.* T. I. p. 44. sqq. ex edit. *Dathii.* Fischeri Proluss. *de vitiis Lexicorum N. T.* Lips. 1791. 8. p. 232. sqq.

75) Vide Schleusnerum in *Lexico in N. T.* sub voce πνευμα. T. II p. 541. sqq. et scriptores ibi citatos, quibus addi potest Hezelius in comment. vernac. *Entwicklung der schweren biblischen Begriffe Geist und Fleisch:* quae *primum* inserta est *Eius Schriftforscher.* T. II. (Giessae, 1793. 8.) Partic. I. p. 17. sqq. *tum* denuo excusa in Gebhardti *Biblisch. Wörterbuche.* T. II. (Lemgoviae, 1794. 8.) p. 511. sqq. et p. 694. sqq. *denique* separatim etiam, quantum scio, venditur.

ϑεις non uno N. T. loco (v. c. Luc. XIII, 29. cl. Matth. VIII, 11. Matth. XIX, 24. cl. v. 23. etc.) cum formula: ἡ βασιλεια των ἐρανων: permutetur, ἐρανος autem inter alia etiam de caelo nubium, atmoſphaera ſive ima aëris parte dicatur, (v. c. Luc. XII, 56. IV, 25. Matth. XVI, 1. 2. 3. Iac. V, 18. cl. v. 17. etc.) quid impedit, quo minus *regnum aërium* ſic deſcribi ſtatuamus? Uſus linguae *in ſe* hanc explicationem admittit; cur igitur *ſuam* praeferre Auctor maluit? et quae ſubeſt ratio? Poſſent vero ad easdem, quas *Penzenkufferus* ſecutus eſt, leges multa adhuc alia interpretationum monſtra componi, ſi res tanti eſſet; ſed taedet me huius negotii, et ſufficiunt etiam haec, quae attuli, exempla conſilio meo, ut nimirum, quam mere arbitraria ſit omnis iſta libros ſacros tractandi ratio, quantumque a vera interpretatione remota, oſtendatur. Atque hinc illud etiam facile intelligitur, talem in interpretando libidinem non ineptam ſolum eſſe et plane inutilem ad veram cuiuscunque ſcriptoris ſententiam eruendam, ſed omnia etiam turbare et dubia incertaque reddere; quae quidem *altera* eſt diſſenſionis meae et vituperationis cauſa. Auctor ipſe hoc quodammodo ſenſiſſe videtur. Namque non negat, imo aperte profitetur (l. l. p. 385.), utrum *verus* ille ſit ſcriptorum divinorum ſenſus, qui ex ſua interpretandi ratione efficiatur, nec ne, id ſe nec poſſe pro certo affirmare, nec etiam admodum curare, quin potius *ſola* quadam interpre-

tationis probabilitate acquiescere, cum persuasum sibi habeat, eam communem esse omnium omnino interpretum sortem, ut, quid quovis loco *pro certo* dent ac definiant, ipsi non habeant. Dura sane et molesta oratio, quae si aeque vera esset atque insolens est, non posset non universam interpretum vim summo pudore afficere, eorumque artem in ignominiae et contemtionis discrimen adducere. Sed bona verba, quaeso! Non est, quod consternati interpretes animum despondeant; nam utique possunt arti suae confidere et de interpretationum suarum veritate certi esse, modo ne *Penzenkufferi* vestigiis ingrediantur, sed cum grammatica interpretatione *historicam* coniungere sciant, ita quidem, ut non solum, quid singulae loquendi formulae *per se*, sed quid eo nominatim tempore, quo quisque liber consignatus est, et inter illos nominatim homines, ad quos scriptio proxime pertinuit, significare potuerint et vere significaverint, quaerant, idque ipsum non aliunde, nisi ex aetatis illius dialecto, historia, moribus, institutis atque opinionibus illustrent ac definiant. Quid enim in dubium adhuc venire et plenam animi persuasionem de interpretationis veritate retardare possit, ubi ex *historica* hac interpretandi ratione scriptoris sententia constituta fuerit, equidem certe adeo non intelligo, ut potius haec mihi via unica esse videatur, qua et universe genuinus veterum auctorum sensus singulis locis *recte* elici, et inprimis etiam, quid formula nostra: ἡ βασιλεία

τȣ Θεȣ ſive των ȣρανων ſive τȣ Iησȣ Χρισȣ: in N. T. libris *vere* ſignificet 76), et quid non, *certo* explorari poſſit. Contra ſi ſolum arbitrium in interpretando ſequi, ſenſumque verborum ad quamcumque aliam normam, quam ad hiſtoricae interpretationis leges, conſtituere malis (quod quidem *Penzenkuffero* placuit), omnia turbentur incertaque reddantur, et vera ſcriptoris ſententia, quam expedire interpretis erat, adeo intricetur ac pervertatur, ut nec vola nec veſtigium eius appareat, neceſſe eſt. Quare profecto ſat graves ſunt cauſae, quae nos eiusmodi praecepta hermenevtica repudiare et auctoribus ſuis relinquere iubeant;

76) *Tres* autem ſunt, ſi quid video, formulae huius in N. T. libris ſignificationes, quae quidem grammatice et hiſtorice probari poſſunt. *Aut* enim ſignificat *tempora Meſſiae univerſe omnemque muneris, ab ipſo inter homines peragendi, ambitum; aut* nominatim dicitur de *ſolemni et glorioſo illo regno, quod Meſſias, ex Iudaeorum opinione in his terris conditurus erat, deque felicitate in hoc regno ſperanda; aut* denique *ipſam religionem et eccleſiam Chriſtianam* (certe aliquoties in ſermonibus Ieſu) denotat. Quae praeterea, a Schleusnero etiam (*Lexicon in N. T.* ſub voce βασιλεια T. I. p. 392. ſqq.), conſtituuntur ſignificationum genera, ea praeter certas rationes ſumta eſſe aut ſaltem ſupervacanea videntur. Caeterum uberiorem rei ipſius et argumentorum expoſitionem hunc locum non capere facile intelligitur.

ad quas *ultimo loco* hoc etiam referri debet, quod talis interpretandi ratio multorum facile malorum ansam praebere, ipsique rei Christianae variis modis perniciosa fieri possit. Cum nimirum Auctor in eo a KANTIO recedat, ut videri velit non tam philosophantis theologi, quam potius interpretis, qui proprie dicitur, personam agere, neque interpretationes suas simpliciter ponat et ad imperitae tantum multitudinis usum commendet, sed ratiunculas etiam philologico-exegeticas adiiciat, quibus causam suam vel eruditis lectoribus persuadeat; facile intelligitur, hanc rationem *Kantiana* multo fallaciorem esse, et maiorem speciem habere, quae incautos doctiorum etiam hominum maximeque tironum animos opinato citius decipiat. Iam vero quid consequens erit, si hoc interpretandi genus latius se diffundat, sensimque plures amicos nanciscatur? nihil profecto aliud, quam ut vanorum interpretum et clamatorum imprudentum (tales enim plerique sunt, qui de re aliqua, cuius tamen indolem non accuratius cognoverunt, philosophari volunt,) numerus in dies crescat, et ad extremum, quid Iesus et Apostoli vere docuerint, quidque male sedula importunorum interpretum curiositas falso ac temere iis affinxerit, nemo amplius sciat. Non vanum esse hunc metum, et res ipsa et inprimis etiam varia signa atque indicia, quae hac nostra aetate conspiciuntur, nimium quantum docent. Quis enim non stupeat et indignetur cruda illa atque inepta

de rebus exegeticis deque univerſa religionis Chriſtianae vi atque indole iudicia, quae his noſtris diebus ab interpretibus philoſophantibus (quales ſcilicet haberi volunt) paſſim ſparguntur 77)? At vero quaenam ſubeſt horum iudiciorum ratio? *Quisque nimirum philoſophus videri cupit, ſed pauci tantum ſunt, qui rei, de qua philoſophentur, naturam diligentius perſpexerint.* Quam ſatius igitur foret, ſi nemo de re aliqua, niſi accuratam eius ſcientiam comparaverit, iudicium ſibi ſumeret, ſique inprimis philoſophantes noſtri interpretes ſibi perſuaderent, non decere de ſcriptoris ſui opinionibus ac decretis ante philoſophari, quam verus et genuinus verborum ſenſus *grammatice* et *hiſtorice* conſtitutus fuerit! Certe haec eſt antiquioris philoſophi, *Ammonium* dico, Hermeae filium, ſententia, qui perquam commode has interpreti leges ſcripſit 78): Ὁ ἐξηγου-

77) Sic nuperrime *quidam* perſuadere nobis voluit, omnem nervum et cardinem religionis Chriſtianae *miraculis, quae ſtricto ſenſu dicantur*, contineri, nec poſſe quemquam ac debere Chriſtiano nomine ornari, qui non in hac perſuaſione acquieſcat. O profundam et inauditam ſapientiam!

78) Ἀμμωνιου του Ἑρμειου σχολια των Ἀριστοτελους κατηγοριων. Venetiis, ap. Aldum. 1503. fol. pag. 3. ſignata *AAiii.* Plures nimirum Commentarii in hoc uno Volumine continentur. Debeo autem huius loci notitiam *Illuſtri* EICHHORNIO,

μενος ὀφειλει μητε κατ᾽ ἐυνοιαν ἐπιχειρειν τα κακως λεγομενα συνιςαν, και ὡς ἀπο τριποδος ταυτα δεχεσθαι, μητε τα καλα κακοτροπως δεχεσθαι κατα ἀπεχθειαν, ἀλλα κριτης ἀπαθης των λεγομενων ὑπαρχειν· και πρωτα μεν, την διανοιαν τȣ ἀρχαιȣ σαφηνιζειν και ἑρμηνευειν τα ἀυτῳ δοκȣντα· ἐπειτα, την παρ᾽ ἑαυτῳ ἐπιφερειν κρισιν. *Interpretem oportet neque perperam dicta ex benevolentia commendare ſtudere et tamquam a tripode profecta accipere, neque recte dicta ex odio perverſe reddere, ſed ſine cupiditate, quae ſcripta ſunt, aeſtimare; et primum quidem ſententiam antiqui auctoris explanare, quaeque huic viſa fuerint, exponere, deinde demum ſuum ipſius iudicium addere licet.* Similem in modum ERNESTI quoque, ſummus ipſe interpres, praecepit 79), *in interpretatione ipſa*, inquiens, *nihil aliud quaeritur, quam quid dictum ſit, non quale ſit, aut quam vere dictum.*

Sed mitto has philoſophantium interpretum nugas, et vehementer laetor, quod ſemota contradicendi litigandique materia liceat nunc per re-

(v. *Eius Allgem. Biblioth. d. Bibl. Liter.* T. V. p. 203.) cuius egregiis ſcriptis in univerſum plurima accepta refero. Neque tamen *Vir Summus*, eadem libri editione uſus eſſe videtur, cum pag. 5. citaverit.

79) *Opuſcc. philol. critic.* p. 224. ed. 2.

liquam commentationis partem cum *Kantianae* disciplinae amicis, si minus omnino in gratiam redire, at pacem certe et concordiam colere. Sunt nimirum, ut ab initio (p. 19.) iam monitum est, alii, qui moralem sive practicam sacrarum literarum interpretationem ita institui praecipiant, ut de sensu scriptoris menti alieno plane non cogitetur, sed quae absoluta grammatica et historica interpretatione universa sint et rationis excultae iudicio probentur, ea in communem usum excerpantur, quae autem contra videantur, una cum orationis et sententiarum involucris atque integumentis, aetati suae suoque populo relinquantur. Atque his inprimis adnumerari debet *venerandus* AMMON 80), quem non incommode Theologorum critico-philosophicorum acutissimum atque ingeniosissimum dixeris. Iam vero facile intelligitur, hanc Codicis S. tractandi rationem ab ipsius *Kantii* praeceptis multum recedere 81), aliterque de ea iudicari debere. Similiter nec hoc difficile

80) Vide locos nota 17. citatos.

81) Multam quidem operam *Celeb.* AMMON dedit, ut nobis persuaderet, KANTII etiam hanc eandem esse sententiam, modo non eadem verborum perspicuitate ac diligentia expressam. Sed in hoc ipsi non possum adsentire, videorque mihi in antecedentibus satis demonstrasse, *Kantianam* interpretationis legem ad longe aliud quidquam pertinere.

erit intellectu, multas criminationes, quae in *illam* legem non sine veri specie quadam coniici posse videantur, in *hanc* adeo non cadere, ut potius primo statim obtutu aliqua commendationis nota in ea appareat. Etenim purior sensus, ex huius interpretationis legibus, scriptorum verbis non *infertur* aut *temere affingitur*, sed potius *ex* illis ipsis *elicitur*, neglectis quidem atque omissis, quae sunt negligenda et omittenda. Quare illud etiam in promtu est, *grammaticae* et *historicae* librorum sacrorum interpretationi ullum aliquod periculum ex hoc tractandi genere adeo non imminere, ut ea potius inde multum iuvetur, cum non nisi *proprio* verborum sensu rite constituto *moralis* interpretis opera accedere possit ac debeat. Quae quidem omnia, quis est, quin sponte intelligat? et si intellexerit, praeiudicatam suam de his ita definitis *practicorum* interpretum studiis opinionem missam faciat atque immutet? Mihi saltem (quod ingenue profiteor) ea admodum probantur, et quo certius ac tutius aliis quoque de eorum bonitate persuadeam, duae potissimum quaestiones rite solvendae atque expediendae superesse videntur; *una*, an liceat Codicem S. eo, quo dictum est, modo tractare? *altera*, quae sint huius tractationis commoda, qui fructus? De utroque momento *paucis* nunc videbimus, cum temporis et totius libelli angustiae aliaeque plures causae vela orationis, quam possit maxime, contrahi iubeant.

Licere

Licere autem Codicem S. ita tractare, ut non omnia ac fingula eius dicta uno eodemque numero habeantur, quin potius omiffis tum vanis et mere arbitrariis praeceptis, tum orationis et fententiarum involucris atque integumentis, fcriptorum aetati et populo propriis, quae univerfe valeant et rationis excultae iudicio probentur, ea fola in communem ufum excerpantur ac commendentur, id quidem inde neceffario fequitur, quod multa paffim, quae ad *noftros* homines variis de caufis nihil plane pertinent, in libris Chriftianorum facris vere occurrunt, ut fupra (p. 38. feqq.) fufius oftendimus. Quod cum in fe etiam negari haud facile poffit, et ab intelligentiffimo quoque arbitro fponte concedatur, cur, quae inde neceffario fluant, iis convenienter agere non liceat? cur igitur diftinguere, e religionis difciplina exterminare et omittere, quae diftingui, exterminari atque omitti res ipfa fuadeat, vel tantillum dubitemus? „At vero largiar, *inquis*, non omnia „Scripturae effata, quippe quae *ftricto* fenfu folis „auctorum aequalibus fcripta fuerint, eadem po„teftate, eodem iure et ambitu ad *nos* pertinere, „adeoque temporarias, locales et certis homini„bus proprias notiones a communibus atque uni„verfalibus decretis diligenter effe diftinguendas; „*modus* autem, quo ifta diftinctio, ifte delectus „a *morali* interprete, qualem nunc cogitamus, in„ftituitur, eftne ita comparatus, ita certus et

„extra omnem dubitationis aleam positus; ut unus „ille solus admitti probarique debeat? Iudicium „quidem, quo decernatur, quae universa sint et „omnibus omnium aetatum ac nationum homini„bus pariter aequaliterque scripta, quae non, mo„ralis interpres ad aeterna et necessaria rationis „practicae placita unice componi suadet; an vero „id recte praecipitur? estne hoc κριτηριον adeo fir„mum, certum et ab adversariorum telis munitum, „ut in eo commode acquiescere possimus?“ Ita est. Cum enim inter omnes sanioris philosophiae amicos et fautores satis constet, quidquid summis boni ac recti notionibus et aeternis purae rationis decretis non conveniat, id nec ad Deum, tamquam auctorem, referri, nec communibus verae religionis praeceptis recte adnumerari posse atque debere 82); quamnam tu aliam normam, qua aeque certo ac tuto revelationis cuiusdam in facto positae veritas et divina origo diiudicentur, orationis et sententiarum involucra certis temporibus atque hominibus propria a summis et communibus ipsorum auctorum notionibus, veraque dogmata a falsis aut dubiis distinguantur, praeter rationem practicam constituas? Profecto aut vagum sit et fluctuans omne tuum de talibus rebus iudicium, aut hanc nostram decernendi legem et nor-

82) Cf. quae supra (p. 27. sqq.) monita sunt.

mam admittas, necesse est. Nam tertium quoddam vix ac ne vix quidem reperias. Quae cum ita sint, sponte iam apparebit, non licere tantum Codicem S. ex moralis interpretationis, qualis nunc spectetur, legibus tractare, sed rei adeo ipsius rationes hoc idem necessario suadere ac postulare. Neque etiam verendum est, ne ista S. Scripturae tractatio de vera ac propria eius fide atque auctoritate detrahat; imo vero dum institutionem et doctrinam *divinam* ab *humana* inventione accuratius, quam alias solet fieri, separare docet, eo ipso simul *illius* prae *hac* praestantiam atque insigne pretium clarius exponit et luce splendidiore illustrat, non autem deprimit aut obscurat. Quam ob rem nec ab hac parte ullum aliquod impedimentum obstat, quod plenam animi persuasionem de sententiae nostrae veritate merito retardare vel evertere possit.

Quemadmodum vero in communi vita alacriore ac promtiore animo exsequi atque peragere solemus, quod non licere solum et in officiis esse, sed magna etiam atque insignia commoda habere cognovimus, ita sine dubio his nostris quoque consiliis certior ac firmior adsensus praebebitur, ubi fructuum iis nexorum et propriorum brevem commemorationem adiecerimus. Atque hic *primo loco* illud afferri meretur, quod sic *certam* quan-

dam normam habeamus, ad quam, tamquam lapidem Lydium, explorare possimus atque definire, quam magis aut minus late extendatur Christianorum dogmatum ac praeceptorum, quae ad *universalem* religionis disciplinam pertineant, ambitus, quot et quae N. T. effata, quoque iure et sensu formulae Christianae, his nostris temporibus accommodatae, vim et naturam constituant. Observatum nimirum est a Viris doctis, eam communem fuisse et necessariam omnium antiquiorum, quae sacris literis superstructae essent, religionum sortem, ut successu temporis aucta quidem ingeniorum humanorum cultura sensim obsolescerent, novamque et pro variatis loci ac hominum rationibus magis minusve immutatam formam induerent 83); neque etiam *Christianam* religionem, quae et qualis in N. T. libris descripta sit, ab hac sorte prorsus immunem esse, itidem monuerunt. 84) Ex quo autem tempore illud factum est, non desierunt etiam doctae controversiae, tum de modo, quo prima religionis Christianae forma optime immutari et ad nostri seculi ra-

83) V. Eichhornii *Biblioth. d. bibl. Liter.* Vol. V. p. 234. sqq. et Poelitz *Kritik der Religionsphilosophie.* §. 4. p. 38. sqq.

84) Vide scriptores nota 15. laudatos.

tiones revocari posset, tum de finibus, intra quos totum illud distinguendi, purgandi et innovandi studium contineri oporteret; et etiamnum admodum inter se dissentiunt Viri docti, alio quidem rem aliter iudicante ac decernente; id quod mirum non videtur, cum certa quaedam iudicandi norma adhuc nulla esset. Nunc vero eam habemus in illa ipsa moralis interpretationis formula, de qua iam loquimur, et talem quidem habemus, quam non solum bene fundatam esse et omni exceptione maiorem cognovimus, sed quae tuta etiam, facili atque expedita via ad exoptatum finem perducit. Atqui de hoc non laetemur? hunc legis istius fructum non magni faciamus? Sed eadem librorum sacrorum tractandorum formula *secundo loco* hac etiam virtute gaudet, ut omnibus aut certe praecipuis eorum, qui in tradenda et excolenda theologia cum dogmatica tum morali adhuc versati sunt, controversiis finem imponat. Sic v. c. diurnae istae et ingenti saepe animorum motu iteratae, necdum prorsus sopitae lites de rite constituendis articulis fidei fundamentalibus et non fundamentalibus, primariis et secundariis, 85) facili negotio componi ac dirimi pos-

85) Cf. Doederleinium in *institut. Theologi Christ.* Part. pr. §. 23. p. 55. sqq. et scriptores ab eo laudatos.

sunt, si haec nostra interpretationis regula admittatur, quippe quae certam quandam iudicandi ac decernendi legem, qua adhuc caruimus, proponit. 86) Quod autem de hac controversia valet, id pari modo ad alias quoque transferri potest. Omnibus enim unum idemque firmum atque idoneum κριτηριον, quod ad summam veri et recti normam et sine cupiditate quamvis causam ad religionis disciplinam pertinentem aestimat, constitutum videmus. His vero consiliorum nostrorum commodis *tertio loco* illud etiam accedit, quod sic demum certam spem alere possimus, fore, ut iam dudum exoptata rationis cum revelatione conciliatio et amicissima utriusque, ab eodem auctore profecti, muneris consociatio vere efficiatur. Scilicet inter omnes constat, quantopere Viri docti, qui paulo liberiore essent ingenio, propemodum inde a Christianae religionis primordiis ad hunc

86) Certae cuiusdam legis in tractando et perpurgando difficili hoc loco necessitatem alii quoque hac recentissima aetate agnoverunt. Cf. hanc in rem TIEFTRUNKII *Censur des Christl. Protestantischen Lehrbegriffs. Erste Fortsetzung.* Cap. III. p. 112. sqq. *Briefe üb. d. Perfectibilität der geoffenb. Religion.* p. 288. sqq. *Ueber die Rangordnung der Christlichen Religionslehren nach der Eintheilung in articulos fidei fundamentales et non fundamentales, primarios et secundarios;* in HENKII *Magazin.* T. IV. P. III. p. 433. sqq.

usque diem in eo desudaverint, ut illius placita cum philosophiae et sanae rationis decretis componerent, quamque variis adminiculis, incommodis etiam, illicitis atque violentis artificiis et machinationibus hanc in rem interdum usi fuerint 87). Est enim profecto molestum aliquid (ne dicam incongruum atque ineptum,) Deum ipsum, qui et rationem et revelationem eodem consilio et ad eundem usum hominibus largitus est, secum pugnantem cogitare; hincque mirum non erat, ut istam repugnantiam, quae videretur, quovis modo removere studerent. Sed varie tamen in universo hoc conciliandi studio peccatum est, ut fit, ubi non ex certis rationibus res aliqua peragitur. Iam vero si nostra Codicis S. tractandi consilia admittantur, pravas omnes et perversas artes excludi, et tamen bene ac commode effici, quod effectum velimus, quis non intelligat? Nunc enim utrumque Dei donum et uterque religionis fons, ratio ac revelatio amicissime conspirat, remota est omnis repugnantia, sublatum omne dissidium. *Ultimo* denique *loco* fructuum, nostrae interpretandi rationi propriorum, pono

87) De Patrum antiquissimorum circa hanc rem studiis v. I. G. Rosenmülleri *de Christianae Theologiae Origine* librum. Lips. 1786. 8. et de recentiorum Theologorum artificiis cf. *Briefe über d. Perfectib. d. geoffenb. Relig.* p. 28. sqq.

hunc, qui ad rectiorem aptioremque theologiae tam theticae quam moralis tractationem pertinet, non illum quidem prioribus dignitate ac pretio inferiorem. Nam magna utique sunt, quae in hanc quoque rem redundent, commoda, si consilia nostra probentur. Stat iam certa lex ac norma; ad quam aliena decreta a veris et communibus rectius, quam plerumque solet, seiungantur, singuli loci accuratius collocentur et nectantur; unum ex altero melius derivetur, atque in universum omnia ita instituantur et ordinentur, ut firmius fiat totius aedificii fundamentum, aptior partium eius proportio, iunctura et locatio, commodior et a temporis vicissitudine atque iniuria tutior exstructi operis usus.

Quae cum ita sint, cum non liceat solum, Codicem sacrum ex moralis interpretationis, qualis nunc definita est, legibus tractare, sed res etiam ipsa hanc tractationem postulet, totque ac tanta commoda inde oriantur; cur tandem practicorum omnino omnium interpretum studia indignemur, repudiemus vel adeo illudamus? cur potius notum illud proverbium: *qui bene distinguit, bene docet:* ad nostram quoque rem transferre, et rite separatis, quae sint separanda, vana quidem atque futilia moralis interpretationis praecepta, a nonnullis proposita, mittere

et auctoribus relinquere, veris autem ac certis aliorum monitis aures et adſenſum praebere nolimus? an vero turpiſſimae pertinaciae et ſummae cuiusdam cupiditatis homine liberali indignae rei fieri malimus? Sed dubium non eſt, quin talis interpretandi ratio, qualem ipſe commendavi, plures ſenſim amicos et fautores nanciſcatur, dummodo utraque litigantium pars alterius mentem et ſententiam rectius edocta fuerit, cum non ſolum ex *Kantianae* diſciplinae ſectatoribus, ſed ex iis etiam ipſis, qui KANTII praecepta impugnarunt, unus et item alter reperti ſint, qui ſinguli de his noſtris conſiliis, ſi ſummam rei ſpectes, amiciſſime conſentirent 88). Agite igitur! in gratiam redeatis, pacemque et concordiam colatis, Vos, ſumma nomina et inſignia reipublicae literatae cum univerſae tum inprimis theologicae ornamenta! Abſit ab animis veſtris pertinacia et clandeſtinum odium, a ſtudiis calumnia! neque committatis, ut improba illa, per mutuos errores potiſſimum mota nec ſine acerbitate quadam agitata, de rite et ad ſeculi noſtri rationes accommodate tractando Codice ſacro, controverſia longius Vos invicem diſcordes te-

88) Pertinent huc de illis, AMMON, POELITZ, de his, EICHHORN, ECKERMANN, alii.

neat! Iunctis potius viribus in hoc uno elaboretis ut everso destructoque superstitionis, caecae fidei et male sanae pietatis imperio, virtutis ac veritatis regnum in dies latius propagetur! Sic tandem Vobis omnibus ac singulis et iis etiam, qui ad vestram similitudinem adspirent, fausta quaevis contingant!

Missis levioribus operarum vitiis, maxime in distinguendi signis, haec fere errata vidi, quae Lector Benevolus emendet, oro:

pag. 2. nota 2. versu 8. pro העשׂרה lege המשׁרה
— 17. versu 2. et 3. pro *feriatet* l. *feriat et*
— 25. —8. pro *disquisitioni* l. *disquisitionis.*
— 36. — 5. pro *praeseferat* l. *prae se ferat.*
— 45. nota 31. versu 1. pro *et docte* l. *at docte.*
— 46. versu ultimo pro *dispatationem* l. *disputationem.*
— 76. versu 16. pro *quam* l. *quae*
— 100. — 3. pro *applaudet* l. *applaudat.*